
Obserua hîc (sicut in omni re dialectica) diligentissimè amphibologiam vitandam esse, quæ si incidat, oppositio verbis non re fiet, vt: Omnis canis latrat, intellige de animali domestico, Aliquis canis non latrat, de sydere.

Oppositionis Tabula.



De Aequipollentibus.

Aequipollentes enunciationes dicuntur, quæ & si aduersis signis constent, ob negationis tamen varium situm idem valent, vt: Omnis homo mendax est, Nemo non est mendax. ἰσοδυναμία. Hæc superiori contraria est.

Hæc ex Grammaticorum latinè loquentium consuetudine potius quàm præceptis petenda videtur. Pro Aequipollentibus, propositiones idem valentes & declarantes latinè rectius dixeris. Signa autem ἰσοδυναμοῦντα *seu idem valentia ferè hæc sunt, Omnis, & Nullus non, Nemo non, Quis non: Non omnis, & Aliquis non, Nonnullus & aliquis, Quidam, Haud vllus, siue haud quisquam, & nullus &c.* Eras: lib. 1. Topi. capi. 48. & sequentia.

De Conuersione.

Conuersio est terminorum in pronunciatis commutatio, qua subiectus & attributus alter in alterius locum migrat, seruata eadem qualitate, vt: Nullus cometa est stella. Nulla stella est cometa. Ἀντιστροφή.

Huius species duæ sunt, alia enim est conuersio.
- *Simplex cum eadẽ retinetur quantitas, vt: Nullũ concretũ est æternum: Nullum æternum est cõcretum. Hoc modo generalis negãs conuertitur, vt in dato exemplo, & specialis aiens, vt: Aliqui literati sunt impij: Aliqui impij sunt literati.*
- *Per Accidens, vbi quantitas mutatur, vt cum generalis aiens vel negans in specialem eiusdem qualitatis conuertitur, vt: Omnis virtus expetẽda est. Aliquod expetendum est virtus.*

ETHICAE,

SEV

MORALIS

PHILOSOPHIÆ

BREVIS ET PERSPICVA

DESCRIPTIO:

DILIGENTER *& ordine perfacili explicata, à* CORNELIO VALERIO *Vltraiectino, publico linguæ Latinæ, in Collegio trilingui Buslidiano, professore.*



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini
Prototypographi Regij.
cIↃ. IↃ. LXXII.

Ὡς ἀπὸ τῆς βίβλου.

Ἤθεα κεδνὰ μαθεῖν εἰ δήλεαι, ἠδὲ διδάσκειν,
Ξεῖνος, ἀναπτύσσειν ἄπτερα δέλτον ἐμήν.
Εὐμαθέως γάρ σ' εὐθείᾳ τόδε τρίμμα κελεύθῳ
Ἄξει, τὸ δνοφερὸν πᾶν σκότος ἐξελάσαν.

G. C. F.

BREVIS ET PERSPICVA TOTIVS ETHICÆ, SEV MORALIS PHILOSOPHIÆ DESCRIPTIO, diligenter, & ordine perfacili explicata à CORNELIO VALERIO VLTRAIECTINO, publico linguæ Latinę in collegio trilingui Buslidiano professore.

DE ETHICÆ FINE AC PARTIBVS CAP. I.

Ethica philosophia est ars vitæ bene degendæ.

ETHICA *philosophia, quæ est de vita ac moribus, & Latinè Moralis appellatur, est bene viuendi ratio; seu de moribus & vitæ communis actionibus, atque officijs rectè iudicandi scientia. Eam philosophi diligenter excultam, naturæ tantùm lumen rationemq́ue ducem secuti, nobis tradiderunt. Quorum studium omne aut in naturæ obscuritate inuestiganda, & explicanda: aut in vitæ ac morum institutione præcipuè versatum est. Quanquam autem, vt Cicero scribit, iam inde à Platone fuerit accepta philosophandi ratio triplex: vna, de vita & moribus; altera, de natura & rebus occultis: tertia, de disserendo, & quid verum & falsum, quid rectum in oratione, prauúmue, quid consentiens, quid repugnans, iudicando: nullam tamen Philosophiæ partem diligentiùs, auctore atq; hortatore Socrate, sunt persecuti, quàm eam, qua nihil ad vitã leniter ac tranquillè degendã magis erat necessarium, quæ mores hominum ad humanitatem & moderationem instituit ac format, omnesq́ue vitæ actiones virtu-*

Duæ præcipuæ partes philosophiæ.

lib. 1. Acad. Philosophorum studium versatur in rerum cõtemplatione: in virtutum actione: in sermonis artiumq́ue disserendi obseruatione.

Vtilitas huius philosophiæ.

tis norma dirigit: vt honestè, id est, piè & iustè viuendi ratio teneatur: vt de rebus bonis & malis, honestis & turpibus, expetendis & fugiendis, vtilibus & inutilibus, rectè informentur hominum iudicia: qui sæpe malè de his iudicantes, non suo pretio res bonas et malas æstimant. Præclarum hoc Dei donum est, rectum de rebus diuinis & humanis iudicium. Deus enim & lumen animi nostri, mentísq; contagione corporis obscuratæ vim excitans, nouo splendore illustrat, & voluntatem miserè deprauatam sua benignitate corrigit. His adiumentis instructi, ad veri cognitionem et scientiam peruenire contendamus. Sunt nonnulli qui putent, optimam viuendi rationem esse potius ex litteris sacris, quàm ex prophana philosophia petendam: quod nos quoq; tutius & certius esse putaremus, si diuinis illis Dei voce proditis litteris ea, quæ de ciuili hominũ inter ipsos consociatione, et reipub. conseruatione (sine qua Dei præceptis obsequentes, et pij viri tranquillam vitam agere non possunt) & quæ de cuiusq; virtutis natura & officijs diligenter & certo ordine à prophanis scriptoribus tradita sunt, continerentur. Quare quoniam Philosophi Christianæ religionis ignari illi quidem, sed humanæ sapientiæ perstudiosi, legem illã naturæ diuinitus in omnium hominum mentibus insculptam sequentes, constanti perpetuoq; de rectè perperamq; factis iudicio vtiles ad vitam bene degendam leges ac præclara de moribus præcepta dederunt; grauesq; nobis sententias reliquerunt, quibus ad virtutẽ excitemur, eius pulchritudine, & vtilitatibus allecti; & à vitijs deterreamur, eorum turpitudine & noxis alienati: vt sponte faciamus ipsi, quod ceteri metu legum

Rectum de rebus diuinis & humanis iudicium, Dei donũ est.

Cur philosophia discenda Christianis.

Vtilitas philosophiæ.

gum

gum facere coguntur: ipsaq; natura duce rectè honestéque viuendum esse intelligamus, et bonis à Deo proposita præmia, malisq; supplicia, idq; conscientia teste, qua quisque vel accusatur, vel excusatur: cur his vereamur vti, præsertim quæ nihil Christianæ religioni aduersantur, & prosunt plurimum? Nos igitur à Philosophis ingenio, doctrina, longo rerum vsu ac prudentia præstantibus vtilissima bene viuendi præcepta mutuati, certissima litterarum sacrarum norma dirigamus. Totius Philosophiæ quæ de Moribus est, in his tribus summa consistit: vt finis hominis & felicitas intelligatur; vt animi perturbationes cohibeantur; vt virtutes & his contraria vitia cognoscantur; illas vt amplectamur, hæc vt fugiamus, vitamq; cum virtute, piè, ac iustè viuamus: ne de religione vera malè sentiamus, néue quod nobis fieri nolumus, alteri facere velimus. Id enim præcipuum rectè philosophantium studium est, vt præceptis naturæ, legi, ac rationi cōsentaneis, hominum voluntas ad virtutem atq; omnem humanitatem, & ad amabilem concordiam informetur: vt & priuatim & publicè bene viuatur, atq; naturæ præscripto obtemperetur. Quoniam autem omnes disciplinæ parantur natura, arte, et exercitatione; requirit hæc quoq; morum institutio naturam diuinitus ad studium virtutis excitatā, & artem, seu bene viuendi præcepta, & exercitationē virtutis. quarum duæ priores ad prudentiam fortasse magis referantur, postrema certè reliquas virtutes, quæ propriè morales dicuntur, perficit: qua comparatur habitus, & consuetudo in naturam conuertitur, vt facilius animus rectæ rationis imperio assuefactus perturbationibus resistat.

Finem liberalis institutionis esse, vt puer gaudeat honestis, & molestè ferat turpia, Plutarchus scribit in libello, de virtute morali.

Tria totius Ethicæ philosophiæ summa capita.

Piè & iustè viuere, est amare & colere Deum; diligere & iuuare hominem.

Tres omnium artium efficientes caussæ.

Hæc bene instituendæ vitæ disciplina quamuis vna eademq́ sit, diuersa tamē ratione tribus partibus distincta, in Ethicen, Oeconomicen, et Politicen diuiditur: quarum prima ad singulorū hominum mores formandos pertinet: altera ad familiam bene instituendam: tertia ad remp. rectè administrandam. Prima cuiusq́ hominis animum instituit, & ad virtutem informat: estq́ principium familiæ, sicut familiarum multitudo ciuitatis. Ac primùm quidem ea quæ singulorum hominum mores animumq́ bene viuendi præceptis instruit, explicabitur. Informandus enim primùm omnium est, qui vel familiam vel ciuitatem rectè gubernare possit: deinde breuiter Oeconomica & Politica, quas non incommodè fortaßis infrà quo loco prudentia tractatur, cōprehendere licebit. nisi quis ad Iustitiam generalem referre malit, vt sit Iustitia domestica & ciuilis. Quoniam igitur materia in qua versatur omnis hæc morum institutio, sunt actiones humanæ, quas à libera voluntate proficiscentes ipsa rectè instituere & rationi subijcere docet (hoc enim efficere, proprium est Ethicæ Philosophiæ munus) omnes autem actiones ad vltimum aliquem finem referuntur: nihil hîc prius, quàm de fine ac summo bono, ad quod actiones diriguntur, breuiter explicandum videtur. quo cognito, mox de actionibus, quibus ad eum finem perueniri poßit, paulò copiosiùs erit differendum.

Philosophia moralis diuiditur in Ethicen, Oeconomicen & Politicē: quarum prima hominem ad œconomicam & politicam vitam instruit.

Materia Ethicæ philosophiæ.

De fine hominis, ac summo bono. CAP. II.

SOLI *homines, quia ratione præditi sunt, non solùm nihil nisi finis alicuius caussa, agunt, verùm etiam extremum aliquem suarum actionum finem, eumq́ optimum sibi proponunt: cetera verò animan-*

Suum cuique rei bonum est, & proprius finis: sed homo liberè finem suum expetit; res aliç natura duce.

tia

tia ad id solùm quod adest, cæco naturæ impetu feruntur. Quoniam autem finis omnis, si sit expetendus homini, bonus est: erit extremus finis, summum bonum, & per sese expetendum, cuius gratia fiunt omnia, & cuius adeptione felices redduntur homines, ac beati. Sed quid illud sit, quod vltimum atq; vnicum statuendum videatur, ac summum bonum, dubitatum est à Philosophis, ac diu frustra quæsitum, varieq; disputatum: quorum alij felicitatem in voluptate posuerunt, alij in sola virtute, alij in scientia, alij in honore, ac dignitate, alij aliis in rebus. Plato reliquis diuinior, eam in primi boni, seu ideæ boni, seu Dei *ac diuinæ sapientiæ contemplatione perfruenda constituit: cui quo similior quis efficiatur, eo feliciorem, magisq; beatitudinis ac summi boni participem fore censuit; sed eam in hac vita non contingere, quòd nemo posit ante obitum dici beatus. Aristoteles libro primo ad Nicomachum, in actione perfecta virtuti optimæ ac perfectissimæ consentanea, in vita perfecta; nimirum quæ prudentiæ regula dirigatur: quòd ea videretur homini summam & cumulatam perfectionem adferre: cùm & Peripatetici doceant, virtute quidem beatam vitam effici; sed eam tamen si corporis & fortunæ bonis exornetur, beatissimam fore: constare enim beatitudinem triplici genere bonorum: sed in libro decimo, in contemplationis delectatione felicitatem positam esse iudicauit: vt quamuis illa actuosa felicitas ad hanc contemplantem referatur, in suo tamen genere sit vltimus finis. Vtriq; beatitudini voluptatem quidem honestam esse adiunctam, sed contemplanti perfectiorē ac solidiorem ex muneris functione præstantiore &*

De summo bono sententiæ diuersæ philosophorum.

In hac vita nihil est ex omni parte beatum.

Aristoteles virtutis vsum cum vitæ perfectæ prosperitate cōiunxit, ait Cic.

Peripateticorū vita beata.

Sapientia & contemplatio rerū diuinarum & humanarum Aristoteli felicitatis humanæ perfectio est, quòd ea sola per se expetatur.

Beatitudinis comes voluptas.

 quietiore,

quietiore, ac planè diuina mentísq; propria. Quasi verò, quod vnum est summum bonum, posit esse duplex. Meliùs Plato, magisq; Christianæ religioni consentaneè, adeòq; veriùs ita definiuit, vt ex illius sententia nobis quoque rectè summum hominis bonum statuatur æterna Dei videndi perfruendíq; voluptas, per sese expetenda: quam consecutus, rectè beatus appellatur: cui iam nihil ad summam felicitatem deest: in eaq; sic acquiescit, vt nihil præterea desideret, cùm sit malis omnibus liberatus, æternaq; donatus vita sine fine Deo fruatur: quam in hac etiam vita mens pia, Deo fidens, eiusq; præceptis obsequens, aliqua ex parte sentire potest. vnde vera nascitur animi tranquillitas, quæ rectæ mentis conscientia hominem consolatur: sed hanc nemo nisi ipsius Dei beneficio ac munere (ne quis homo glorietur) consequi potest. Id enim non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, & peculiare sacri Spiritus donum, per Christum dominum nostrū concessum: ad quem nemo venire potest, nisi Pater cælestis illum traxerit, auctor omnis felicitatis: in quo per filium cognito, spes æternæ vitæ reposita nobis est: qui nulla alia de caussa nati sumus, quàm vt eum conditorem cognoscamus, ei gloriam omnem tribuamus, eum tota mente amemus, atque vt ille iusit colamus, qui bonorum omnium & principium & finis est: ad quem omnes omnium hominum actiones, omnia studia referri debent. Ad hunc finem quia per virtutis actiones perueniendum est, sequitur, vt de his primùm sit differendum. Sed cùm actiones voluntariæ sint, ipsaq; voluntas hominis animo sit insita, quæ soli Deo subiecta liberum habet agendi principium, sed varijs motibus

Summum hominis bonum Deus, & per hunc vita æterna, hoc est sine fine Deo frui.

Vera felicitas, Dei donum est.

Cur natus homo?

Deus est bonorum omnium & principium & finis, ad cuius gloriam omnes actiones referendæ.

Menti ac rationi libera voluntas acquiescens affectus refrenare debet.

tibus ita perturbatur, vt à recta virtutis via sæpius aberrent humanæ actiones: de affectuum ac vitiorũ & virtutũ origine paucis explicabimus. Animus humanus mortali corpori inclusus, duabus veluti partibus distinguitur: quarũ vna cælestis est, tanquã radius quidam diuino splendore collucens, vt mens: altera corpori cõiuncta, vt appetitio seu cupiditas & ira. Superior est rationis particeps, inferior expers: illius est imperare, huius verò parêre. Sed hæc sæpe velut equus ferociens, aurigæ non obtemperans, impetu fertur ad ea quæ placent, siue honesta siue turpia, non audiens rationem & mentem atque intelligentiam, quæ notitiarum est particeps illarum, quæ natura nobis innatæ sunt, vel potiùs diuinitus insitæ: hortatúrque sémper ad honesta, siue iucunda sint illa, siue tristia, siue vtilia, siue inutilia. Triplex enim bonum est: Honestum, Vtile, & Iucundum. Honestum, quod cum recto rationis iudicio congruit: Vtile, quod naturam & vitam iuuat: Iucundum, quod naturalem appetitionem, vt potus sitientem. Atque ex his fontibus actiones omnes oriuntur. Mentis ac rectæ intelligentiæ est, dijudicare: alterius verò partis est, imperium mentis exequi, et actiones suscipere. Mens duas habet insitas à natura præcipuas notiones; vnam veri falsiq́ dijudicandi, alteram boni maliq́ discernendi. Omnes enim tacito quodam sensu, quæ recta ac praua sunt (modò ne obruatur hoc naturæ lumen) internoscunt: siquidem natura nobis paruos quasi igniculos & semina virtutum, & quandam animi propensionem ad agendum, ac facultatem dedit: hanc affectus mouet: affectum sequitur actio: & ex actionibus crebris comparatur ἕξις seu habitus,

hoc est, vt litteræ sacræ loquuntur, obsequens spiritui, carnis appetitiones reprimere.

Animi tanquam duæ sunt partes, vna cælestis, & rationis particeps, vt mens ac ratio, altera rationis expers vt cupiditas, & irascendi impetus.

Bonum honestũ per se expetendum, vt virtus, vtile, & iucundum propter aliud, vt cetera bona animi, corporis & fortunæ

Honestarũ actionum caussæ primæ sunt, rationis iudicium, & voluntas.

Duæ sunt mentis notiones.

Omnium actionum caussæ; mens iudicans, voluntas obtemperans, vis naturalis, affectus, & ex crebris actionibus atq; assuetudine habitus vel bonus ac rectæ rationi consentaneus à spiritu sancto, vel

 aut

malus a Diabolo & naturæ prauitate.

aut certè διάθεσις, vel virtutis, si referatur ad finē bonum; vel vitij, si ad malum. Atque hæc est omnium humanarum actionum origo.

De affectibus. CAP. III.

CVM *autem omnis virtutum vitiorúmque ratio ex his veluti principijs oriatur, facultate, affectu, actione, & habitu: hæc breuiter explicabimus: ac de facultate quidem pauca illa quæ dicta sunt, fuerint satis. & discrimen illud obseruetur inter naturalem animi propensionem, & huius propensionis concitationem seu affectum: vt naturam hominis iracundi mouet ira, sicut ambitiosi gloriæ cupiditas. Deinceps igitur de affectibus dicendum est. Affectus est appetentis animi commotio ad id quod ille obijcit siue bonum, siue malum, qui si ratione, quæ* Deo *paret, regatur, bonus est, si repugnet, malus, πάθος à Græcis, & à Cicerone perturbatio dicitur: & definitur, turbidus animi concitatusque motus auersus à ratione, inimicus mentis vitæque tranquillæ. A Plutarcho, vehemens motus ex prauo iudicio natus. Stoici cùm viderent hominem multis ac prauis agi cupiditatibus, ipsamque naturam hominis integram esse minimèque vitiosam falsò crederent, negabant affectus esse naturales, sed opiniones tantùm vel boni vel mali, & genere suo omnes esse vitiosos, & ex natura hominum euellendos affirmabāt, quibus sapientem liberum esse voluerunt: sed erroris facilè conuincuntur. Primùm enim, esse naturales & ingenitos, ex eo facilè probatur, quòd affectus seu propensiones quædam animātibus natura ipsa insiti sunt, vt amor parentum in liberos. Et quis non videt homines ad iram vel amorem, ad lætitiam vel tristitiam alios*

Quid affectus?

Plutarch. in lib. de virtute mor.

Cur Stoicis affectus sint opiniones & peccata.

Vitiosos) Stoicis enim affectus sunt peccata, & quicumque dolet, metuit, concupiscit, is peccat. Plutarch. in lib. de virtute morali.

alios alijs esse procliuiores? Deinde non omnes esse vitiosos, ex eo satis perspicuum est, quòd ipsa Dei lex amorem nobis præcipiat in ipsum, in omnes homines, in coniugem, liberos, parentes: misericordiam, spem, fiduciam, gaudium, & alias aliquot affectiones perutiles, et ad excitandum animũ necessarias. Quid enim vtilius ad hominum vitam spe gloriæ ac præmiorum, quibus animi ad virtutes excitantur: & metu probri ac suppliciorum, quibus à vitijs deterrentur & auocantur? Atque ita quidem affectus commodè possent distingui: vt alij natura boni dicantur, qui cum ratione seu lege naturæ consentiunt, vt beneuolentia, misericordia: alij mali, qui dissentiunt, vt odium, inuidia, superbia, desperatio: alij medij, vt ira, spes, audacia, metus, cupiditas, amor, lætitia, tristitia: qui vt cum virtute congruant, rationis moderatione gubernandi sunt, & mediocritate iudicandi. Sunt inter eos alij leniores, quos ἤθη Græci vocant, alij vehementiores, quos illi πάθη nominant. de quibus vide Rhetorica. Ceterum nec illud probandum est, quod quidam putarunt, naturales esse, non etiam voluntarios affectus. Cùm enim voluntas nostra soli Deo subiecta, liberum habere videatur agendi principium; existimandum est, ipsam quidem ad has vel illas procliuitatem, primumq́ etiam impulsum esse naturalem: sed earum commotiones voluntarias, ac rationis imperio posse cohiberi, ne ruant impetuq́ ferantur, atque hominem mox etiam propè inuitum ad vitia compellant. Quanquam etiam tum voluntas ipsa volens frenos laxat; & aliquo modo retinere poßit, si modò adiutorem Deum inuocet. Vt enim sit imbecilla, tamen est aliqua libertas,

Propensio ad aliquem affectum naturalis est, ipse verò affectus ac motus vehementior, voluntarius, quòd hic, vel institutione vel metu, vel pudore cohiberi possit.

Vtilitas affectuum.

Affectus alij boni, alij mali, alij medij.

Affectus esse naturales & voluntarios.

tas, quæ pudore & metu proposito refrenare possit affectus. Posse autem eos disciplina coërceri, testantur hæc verba diuinitus prodita: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei. Atque hoc illud est, in quo omnis philosophorum labor versatur, vt in omni vita, in dictis & factis, appetitus pareat rationi, tanquam gubernatrici. quod quidem et primum & maximum bene viuendi præceptum iure censeri debet: vt nihil nisi quod honestum & iustum sit aut appetamus, aut agamus, aut cogitemus. Cùm autem duabus ex partibus homo constet, animo & corpore: sitq́ duplex animi vis, vt suprà dictum est, vna rationis particeps, altera expers: illa constans & quieta est, hæc inconstans & affectibus turbida, quæ sæpius illam commouet: quo fit, vt homo, si rationis ac mentis iudicium sequatur, perturbatione minus commoueatur; sin corporis libidini malit obsequi, variè concitetur. Fons igitur affectuum est, animi pars illa rationis expers. eaq́ duplex, θυμοειδὴς irascens, cuius sunt affectus ferè cõcitatiores, & ἐπιθυμητικὴ appetens, cuius sunt mitiores. quæ si mentis ac rationis imperium ac iugum detrectans, suo feratur impetu; statim perturbationum aliqua moueatur necesse est, & vel boni vel mali opinione seu specie modò huc, modò illuc rapiatur; & interdum voluptate aut cupiditate, interdũ dolore, aut metu aliáue commotione perturbetur. Ad hæc enim duo genera, quicquid affectuum est, referri posse videtur: quòd omnes perturbationes oriantur ex opinione boni vel mali, siue præsentis siue absentis. Nam cordis motum aliqua notitia semper antecedit, cùm, vt ille ait, ignoti nulla cupido sit. Ex opinione boni voluptas, ex opi-

Quò spectet omnis philosophorum labor.

Vnde affectus?

Omnes affectus ad genera duo referuntur, voluptatem & dolorem, in quibus mediocritas quærenda est, quod virtutis officium est.

ex opinione mali dolor nascitur. Voluptas animum suauitate delenit, dolor cruciat. Ad voluptatem referuntur, amor, desiderium, lætitia, quæ naturam iuuant, & inter hæc præcipuè lætitia; ad dolorē, odium, ira, metus, tristitia, quæ naturam lædunt grauißimè, Omnium autem sedes in corde rectè collocatur, cui magna est cum voluntate coniunctio, quæ vel appetat, vel fugiat, si quid obiectum sit, quod aut iuuare naturam aut lædere videatur. In omnibus porrò mediocritas quærenda est, quod proprium virtutis est, ex quo nonnulli eam definierunt, animi tranquillitatem: quæ existit sedata nimia vel voluptatum appetitione, vel dolorum & laborum fuga.

In corde) ex quo spiritus in cerebrum exilientes, idque excalfacientes animi perturbationem excitant.

De amore. CAP. IIII.

AMOR *est inclinatio voluntatis, in id quod bonum putatur propendens. Cùm enim aliquid oblatum est, quod aut verè bonum sit, aut specie boni placeat; ea opinione commouetur appetens animi facultas ad id potiendum ac fruendum. Bonorum autem quæ ab hominibus expetuntur, genera diximus esse tria: Honestum, vtile, & iucundum, quæ sæpe coniunguntur; quod idem & honestum & vtile & iucundum esse poßit: vt amor parentum in liberos. &cet. At non continuo quod aut vtile, aut iucundum sit, honestum est: cùm hæc interdum pugnare cum honesto videantur. Sed nihil tamen est verè aut vtile, aut iucundum, quod non sit idem honestum: quod autem honestum est, id propter se tantùm nulla nec vtilitatis nec iucunditatis habita ratione expetitur. Quanta sit vis amoris, Poëtarum carmina testantur: & paucos esse nullius amoris sibi conscios arbitramur. Triplicem fecit amorem*

Bonum honestum, vtile, & iucundum sæpe coniunguntur: sæpe etiam separantur.

Nihil verè vtile aut iucundum est quod non sit idem honestum.

Amoris) quem definiunt, cupiditatem fruendæ pulchritudi-

nis: At virtute quid pulchrius? quid amabilius?

amorem Plato; primùm, qui solam virtutem amplectitur & amat: sed hic affectionum numero exemptus, inter virtutes potiùs reponendus videtur, quòd rectæ rationis iudicio vtatur: alterum turpem, qui corporis voluptatem; tertium, qui animam & corpus amat. Primo nihil generosius est; altero nihil turpius; tertius, vtriusq; particeps ille quidem, sed non minùs tamen errat, quàm alter: quòd corporis pulchritudinem admiratur, & vehementer amat. Huic amori blandè venienti, & suauiter animum demulcenti nisi occurratur, et aliò traducatur animus ægrotus; frustra medicina paretur, vbi iam inualuerit amor, & altiùs insederit.

Triplex amor Platoni.

Amoris impotentis remedium.

De desiderio & spe. CAP. V.

Quid intersit inter amorem & desiderium.

DESIDERIVM *est cupiditas eius boni, quod nondum adsit, fruendi. id si præsens est, amatur; sin absens, desideratur. Ex hoc fonte, si negligatur iudicium rationis, & immoderata sit cupiditas, atque extra naturæ (quæ paucis est contenta) fines ac terminos egrediatur; multa nascuntur vitia; vt auaritia, ambitio, libido, luxus, &c. Spes à Cicirone definitur expectatio boni. cui contraria est Desperatio, opinata boni adipiscendi difficultas ac diffidentia; quæ inter tristitiæ formas infrà numerabitur. Prudentis est, ea sperare, quæ consequi possit: nec temerè desperare, quò per laborem peruenire possit. Atq; hæc quidem spes, qua bonum vel verum vel adumbratum optamus, distat ab ea quæ Theologica dicitur, & virtus est; ac definitur æternæ felicitatis expectatio: cui item contrarium vitium est, Desperatio. Sed ea virtus ad Patientiam fortitudinis speciem referri potest. Nam Fides*

Quid Spes.

Quid Desperatio.

Quid hæc spes à Theologica spe differat.

theologica per quã certo creduntur ea quæ nõ videntur, Prudentiæ tribuenda videtur, Caritas iustitiæ, quæ virtutes omnes in se continet: qua Deus propter se diligitur, et homo propter Deum: quæ sunt omnibus precibus expetenda Dei dona.

Fides, Spes, Caritas, præcipua Dei dona, quæ theologicæ seu diuinæ virtutes appellantur.

De lætitia. CAP. VI.

LÆTITIA *est affectio, quæ boni alicuius præsentis, quo delectatur animus, opinione commouetur. Cicero gaudium & lætitiam ita distinguit, vt gaudio placidè & constanter, lætitia verò inaniter, & effuse moueatur animus. hoc affectu maximè iuuatur natura, & cor dilatatur, ac velut amplectens quod visum est bonum, dulciter animum iucundeq́ue mouet, ac vitam in corde fouet, quam tristitia affectio contraria opprimit. hæc autem iucunditas et delectatio pro magnitudine boni quod oblatum est, maior esse minórue potest, et aut honesta aut turpis. honesta erit, si naturæ modò ac rationi sit consentanea: qualis ex rerum bonarum contemplatione & studijs comparatur: turpis verò, si immoderata sit, et rationi repugnans: qualis ex corporeis voluptatibus capitur, ex prauis studijs, & ex maleuolentia: veluti si quis alieno malo delectetur: quo vitio nihil esse debet ab homine, præsertim Christiano alienius. Aristoteles inter hanc maleuolentiam & inuidentiam mediocritatem constituit* νέμεσιν *seu indignationem, qua res secundas ijs qui sunt illis indigni, obtingere dolemus.*

Quid inter lætitiam et gaudium intersit.

Lætitia naturæ prodest: tristitia nocet.

Lætitia vel bona, vel mala.

Gaudia principium sunt nostri Phoce doloris, Ouidius.

ἐπιχαιρεκακία. Lib. 2. de morib, ad Nicom.

De odio, & ira, & cognatis affectionibus. CAP. VII.

AMORI *contrarium est odium: quod à Cicerone definitur, ira inueterata, hoc est continuata. Nascitur hic*

Vnde nascatur odium.

hic affectus ex animi offensione, malum quod videtur auersantis, & alicuius vel facto vel dicto læsi, vel se læsum opinantis, & interdum occulta quadam naturæ vi ab alterius amicitia abhorrentis. Quemadmodum autem amore conciliantur omnes, sic odio disiunguntur: quo nihil est humanæ societati perniciosius. quod eò etiam grauius est, quo premit occultius. Odisse vitia prodest: at hominem amare, Christiana charitas iubet, & peccanti noxam remittere: nulla verò de caussa quenquam odisse, perabsurdum est, & à recta ratione alienissimum. Referuntur ad odium plures affectiones, quæ bono viro fugiendæ sunt: vt contemptus, vt ira, vt inimicitia. Contemptus est, quo quis alium se putat abiectiorem: cùm nulla sanè sit caussa cur se quisquam alij præferendum putare debeat, propterea quòd ex se nihil ipse proferre posit, quod non aliunde acceperit, vt ex litteris sacris notissimum esse debet Christianis. Ira definitur, libido puniendi eius qui iniuria læsisse videatur; affectus hic grauiter hominem perturbat, & in eum à quo ille se læsum putat, acriter inflammat; omnium affectionum turbulentissima: qua non solum animus, verumetiam totum corpus interdum ita concitatur, vt præ ira vix homo videre, ac sensibus vti, vix loqui posit. Huc inimicitia pertinet, quæ definitur, Ira vlciscendi tempus obseruans. huc & discordia, pestis reipub. huc omnis maleuolentia refertur. Differt iracundia ab ira: quòd iracundia sit naturalis facultas, qua quis ad iram procliuis redditur; ira verò, illius facultatis commotio, & à ratione auersus impetus: quo sic interdum perturbatur animus, vt iratus à furioso perparum distet; ac verè

Occulta) Martialis, Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare.

Odisse vitia, non hominem debemus.

Ad odium referuntur Contemptus, Ira & Inimicitia.

Quid Contemptus?

Quid Ira?

Affectus iræ omnium turbulentissimus.

Quid Inimicitia?

Quid differant iracundia & ira?

verè ab Horatio dicatur, Ira furor breuis; & ab Ennio, insaniæ principium. Inflammatur hac perturbatione, atque exardescit in corpore sanguis; & spiritus agitati subitò ita hominem commouent, & à seipso alienant, vt ex potestate mentis exire, nec, antequam resederit impetus, ac sese remiserit feruor, ad se redire dicatur. Sed non omnis ira æquè turbulenta est. alia enim facilior est, & concitatior, hominemq́ subitò corripit, sed minùs diuturna est: alia remißior quidẽ, sed amarior & permanentior, atque in odium degenerans, & vindictam expetens. Nec omnis ira vitiosa videri debet, cùm in sacris litteris ita legatur: Irascimini, & nolite peccare. nec malè ab Aristotele mediocritas iræ inter nimium & parum laudata est; & ira moderata fortitudini rerum maximarum comes adiuncta; quam veteres Academici, teste Cicerone, fortitudinis quasi cotem esse dicebant, id est adiutricem: qua Seneca monet vtendum esse, non vt duce, sed vt milite. Irascendum igitur est impietati, iniustitiæ, cetérisque vitijs: & excitandus nobis animus cùm opus est, cùm tempus & locus postulant; retinendus verò, si nulla eiusmodi sit irascendi caussa. Et quo grauiùs perturbatus est animus, eo diligentiùs iræ moderabimur, impetum cohibebimus, ac summa vi opprimemus, reuocato statim rationis imperio, & eo, quod iram concitauerat, subtracto, restinguemus ardorem, vel in aliud tempus dilata vindicta, minuemus perturbationem. Diligenter etiam illa procliuitas ad iram nobis refrenanda est, et rationis imperio moderanda, propositis vitæ communis incommodis. Est enim permolesta cum hominibus iracundis consuetudo: sed intolera-

Ira, furor breuis est.

Iræ impetus.

Non omnis ira æquè turbulenta est.

Non omnis ira vitiosa est.

Quomodo ira vtendum sit.

Irascendum vitijs.

Quomodo restinguendus ardor iræ.

Permolesta est cum iracundis consuetudo.

tolerabilis cum iisdem, si & superbi sint & maledici.

De tristitia. CAP. VIII.

Quid tristitia.

Vnde nascatur.

TRISTITIA, *seu ægritudo, est perturbatio, contrahens ac premens animum. quæ definitur à Cicerone, opinio recens mali præsentis, in quo demitti contrahiq; animum, rectum esse videatur. & breuius: Aegritudo est, animi aduersante ratione contractio. nascitur hæc vel ex mali alicuius præsentia, vel absentia boni. ex hoc fonte multæ perturbationes fluunt, quas enumerat Cicero in extremo libro 3. Tusculanarum quæstionum. & in quarto, cùm quatuor perturbationum genera posuisset, & definiisset, enumeratas repetit his verbis: Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiiciuntur, vt ægritudini inuidentia, æmulatio, obtrectatio, misericordia (sed hunc nos affectum bonum, non animi morbum iudicamus) angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio (quæ sub metum subiici potest) & si quæ sunt de genere eodem. hactenus Cicero, quem singulas formas definientem ipse legito. Vt non omnis voluptas vitiosa dicitur; ita nec omnis tristitia. vtq; gaudere virtute laudabile est; ita vitio tristari ad cohibendum immoderatè gestientem animum, vtile est: nec turpe videtur moderatè lugere coniuges, liberos vel parentes.*

Aegritudinis species.

Inuidētia differt ab odio, quòd illa occulta sit, hoc sæpe apertum: illa nascatur ex alterius rebus secundis, quæ nihil inuidenti noceant, hoc ex eo quod læsisse vel læsurus videatur quē odimus: & inuidia tantum hominū sit, odium etiam reliquorū animantium, vt ait Plutarch. in libello de inuidia & odio.

Non omnis tristitia sicut nec omnis voluptas est vitiosa.

De metu. CAP. IX.

Vnde nascatur metus.

Quis metus sit vtilis.

METVS *est expectatio mali, seu futuræ ægritudinis sollicita recordatio, vt Cicero ait: estq; spei contraria. Nascitur metus ex contractione cordis, ob imminentis periculi opinionem. vtilis ad vitam est moderatus metus, consilio rationis acquiescens: immodicus verò,*

verò, vel nimis paruus, vituperatur. Sunt alij natura timidiores, alij audaciores, quod corporis temperationi physici tribuendum censent: sed hîc tamen non parum valet opinio, qua vel augetur vel minuitur metus. hæc perturbatio plurimùm naturæ nocet, hominemq́ præsertim in repentinis casibus ita commouet, vt non minùs qui vehementer est perculsus, quàm qui grauiter iratus, ex potestate mentis exisse videatur. Sub metum species multæ subijciuntur, quarum omnium vna caussa est, finis autem opinioq́ mali diuersa; pigritia, terror, pudor, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido: quarum definitiones apud Ciceronem eodem libro quarto Tusculanarum quæstionum requires. Adduntur his, adulatio, quæ & blanditia meticulosa dicitur: suspicio, metus ex mali imminentis consideratione: desperatio, deiecta mentis consternatio: sollicitudo, cura angens expectatione mali, & aliæ nonnullæ species. Pudorem Cicero perstrinxit, non definiuit. Absolui definitio potest, vt sit pudor, metus turpitudinis, quem rubor consequitur. Is adolescentibus potius quàm grandioribus natu conuenit. de quo infrà latiùs dicendum est sub capite de Modestia.

Cur alij sint alijs timidiores.

Naturæ nocet metus.

Species metus à Cicerone definitionibus explicatæ.

Adulatio.

Suspicio.

Desperatio.

Sollicitudo.

Pudor.

De audacia. CAP. X.

OPPONITVR *audacia metui; vt audaciam hîc intelligamus moderatam audendi vim, ac confidentiam animi, & quandā mediocritatem inter nimiam & paruam, seu inter timiditatem et nimiam confisionem, qua quis malum neque futurum, neque præsens exhorrens, pericula confidenter aggreditur. Oritur hæc contrà ac metus, ex dilatatione cordis, spiritibus calorem eius intendentibus: quorum impetu quia sæ-*

Immoderata vis audendi vituperabilis est, & plerumque nocet; moderata laudabilis, & prodest.

pius quàm ratione & consilio regitur animus, audaciæ verbum ferè in malam partem accipitur. Contraria est veræ fortitudini, quæ prudenter periculi magnitudine perspecta, magno animo id aggreditur. Ac de affectibus quidem hactenus: quorum moderatio maximè necessaria est ad optatum finem per virtutes contendentibus: vt quadam etiam in terris animi tranquillitate, quæ Græcè dicitur εὐθυμία, quam Democritus finem bonorum statuit, futuræ illius ac veræ voluptatis imagine fruamur: quam, sine Christi beneficio, qui solus animos hominum futuræ vitæ fiducia tranquillare potest, nemo vnquam est consecutus.

Audaciæ verbū ferè in malam partem accipitur.

Verè fortitudini contraria.

Affectuum moderatio necessaria.

Vnde vera pax & animi tranquillitas.

De virtute, & eius diuisione, & origine.

CAP. XI.

AD FINEM initio propositum omnes hominum actiones diriguntur: ad quem duce virtute peruenitur. quæ breuissimè definiri potest, Habitus quo libera voluntas ad agendum rectæ rationi conuenienter incitatur. Rectæ autem rationis appellatione intelligimus legem naturæ, & earum rerum notiones quæ nobiscum natæ, & mentibus nostris diuinitus insitæ sunt, vt de rebus bonis & malis, honestis & turpibus rectè iudicemus: vt, Deum esse colendum, neminem lædendum, &c. quæ virtutis norma rectè vocabitur, ad quam omnis vitæ actio dirigatur: cum qua nisi congruat, virtus appellari non potest. Omnis autem virtutis, atque omnium humanarum actionum ille finis esse debet, vt placeant Deo. Definitur à diuo Augustino virtus, ars bene rectéque viuendi: à Cicerone interdum recta ratio, interdum animi habitus, naturæ, modo, ac rationi consentaneus: interdum affectio animi constans conueniensque,

De virtute & eius diuisione vide Ciceronem de Inuentione libro secundo extremo, vbi tria rerum expetendarum genera explicat.

Quid virtus

Diuinitus) Nam Deus omnis virtutis autor est, qui rectam rationem largitur, qui mẽtes & voluntates hominum regit.

Finis omnium actionum.

Plures virtutis definitiones.

Naturæ) scilicet humanæ.

niensq́; , laudabiles efficiens eos in quibus est. Ab Aristotele verò definitur, habitus animi ad consulto & sponte agendū aptus in ea quam ratio nobis præscribit, & quæ prudenti probatur, mediocritate positus. In his definitionibus verbū Constans, quid sit habitus, declarat: vt intelligamus, hunc virtutis vsu & exercitatione comparari & distingui à naturalibus animi viribus, & ab affectibus. Quod dicitur, ad consulto ac sponte agendum: id significat, voluntariam esse virtutis actionem. quod habitus animi, id ostendit sedem virtutis. quòd in mediocritate positus, id explicatur his verbis ab Horatio:

Virtus est habitus animi, rectæ rationi consentaneus.

Explicatio partium definitionis.

Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum.

vt ex eo discamus, omnes virtutes mediocritate quadam, quæ prudentibus viris ac rerum multarum peritis, & bonis probetur, esse moderatas. Verùm cùm dicimus, actionem virtutis esse voluntariam, seu libero iudicio susceptam; id ita accipiendum est, vt occulto Dei beneficio, ac sacri spiritus ope, sine quo nihil rectè facere possumus, adiuti, recto mentis iudicio parentes, libera voluntate connitentes, virtutis habitum diligentia & assiduo vsu comparemus. Virtutis enim efficientes duæ sunt hæ præcipuæ caussæ, mens rectè iudicans, et voluntas rectè iudicanti ac præcipienti obtēperans: quæ plurimùm tamen adiuuantur doctrina, quæ cognitionem earum sententiarum, quæ natura nobis insunt, ac lumen diuinitus datum magnis sæpe tenebris obscuratum illustret, vt Decalogus: & naturalis propensionis incitatione, & disciplina seu morum obseruatione, ac diligentia in regendis actionibus, velut ocij vitatione, & earum rerum quæ peccandi occasionem

Quæ mediocritas laudabilis sit.

Cuius ope connitentes homines virtutis habitum comparare possint.

Quomodo virtus paretur.

 offerunt.

offerunt. Plato in Menone scribit, à Deo virtutem dari, non esse à natura nobis ingenitam, (vt Stoici voluerunt) nec (vt Peripatetici) vsu tantùm constare. Certè veras virtutes non nisi diuino munere contingere existimandum est: alios etiam faciliùs à natura flecti, ipsa tamen ratione & vsu confirmari. Quod ad vitiositatem attinet, eam voluntariam esse dubium non est. Rectè igitur hominis actiones liberas esse dicendum videtur, omnesq́ue virtutes & vitia esse voluntaria. nam quod voluntarium non est, id nec laudem nec vituperationem meretur; sed venia dignum iudicatur. Quamobrem virtus optimè definiri potest, obedientia voluntatis, rectæ rationi obtemperantis, vt placeat Deo qui finis est omnium virtutum. Contraria vitij seu vitiositatis est definitio. Constat vtrumque his caussis efficientibus, mente seu rationis iudicio, voluntate, vi naturali, affectu, & ex crebris actionibus habitu vel bono, qui virtutis est, & diuino munere datur; vel malo, & à diabolo aut naturæ prauitate proficiscitur. Diuiditur autem virtus ab alijs in duas partes, Iustitiam & Fortitudinem: ab alijs in quatuor, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, et Temperantiam. Alij virtutem, vt totum ex partibus constare censent, quod actionibus diuersis accommodatum, quasi diuersas efficiat species, cùm ex omnibus vna virtus absoluta perficiatur: nec vlla sit ex quatuor illis virtutibus, quæ reliquarum comitatu carere poßit. Aristoteles in vna prudentia virtutes omnes connexas ait: nos accepta à veteribus distributione, virtutem diuidemus in quatuor illas, quas modò posuimus, formas: quarum prima intelligentiam regit, reliquæ voluntatem:

Vera virtus Dei beneficium est.

Quæ sponte, quæ nõ sponte, quę inuitè quæ consilio fiant: quid voluntas sit ostendit Aristoteles Ethicorum ad Nicom. libri tertij cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Finis omnium virtutum.

Virtus aliter ab alijs diuiditur.

Cõnexas) quod eæ non sine prudentia sint. lib. VI. Ethicæ.

luntatem: quibus subijci potest, quicquid vsquam virtutum reperiatur. Ac primùm de Prudentia dicemus, in cuius etiam explicatione breuiter œconomica & politica perstringentur: quæ postea, si videbitur, latiùs explicabuntur. Plato quatuor harum virtutum alias perfectas esse dicit, quæ iam altiùs in animo radices egerunt: quarum inter ipsas ea est societas, vt vna sublata, ruant omnes: alias verò imperfectas, quarum nonnullæ, sublatis alijs, tamen remanere poßint. Est alia virtutum diuisio, ex ordine & gradibus perfectionis: qua distribuuntur in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares: quam prioris libri capite octauo commentariorum in Somnium Scipionis copiosè Macrobius explicat. Primas docet Salomon in Prouerbijs, alteras in Ecclesiaste, tertias in Canticis, quartas in Deo legimus. Politicæ vitam humanam regunt, & ciuilē societatem conseruāt: ex quibus homines bonis ciuibus grati laudantur. Purgatoriæ labes animorum purgant, & ad victoriam contendunt. Purgati verò animi virtutes, in eo qui deuictis iam vitijs in virtutum amore constanter acquiescit, collocantur. quas diuus Augustinus cùm reliquas tres approbaret, non recepit. Exemplares vulgò dicuntur, quæ veluti Ideæ sunt, (vt Græci vocant) seu formæ & species in mente diuina, cùm Deus rerum omnium bonarum sit exemplar. Virtus à Cicerone definitur (vt dictum est) modò recta ratio, modò in se perfecta, & ad summum perducta natura: nonnunquam rationis perfectio. quam definitionem Seneca secutus, ait: Virtus non alia quàm recta ratio est, ad quam veluti regulam omnes vitæ actiones diriguntur. Et rectè

Virtutum quatuor aliæ perfectæ, aliæ imperfectæ Platoni.

Virtutes aliæ Politicæ aliæ purgatoriæ, aliæ purgati animi, aliæ exēplares. Politicas Cicero in libris de officijs explicat: quibus ratio vitæ ciuiliter & honestè instituendæ continetur.

Purgati animi virtutes D. Augustinus non recepit.

Virtus cur definiatur à Cicerone recta ratio seu rationis perfectio; seu recta animi affectio.

Vnde officia ducantur.

virtutũ origo omnis à recta ratione ducitur: nec enim aliud virtus est, quàm (vt bene Cicero definiuit) recta animi affectio, ex qua velut è fonte quodam omnes rectæ actiones, quæ dicuntur officia, fluunt. de quibus idem vtilissimos ad vitã honestè iustèq; degendam libros optimè scripsit. Atq; ita intelligendum puto, quòd vnam tantùm virtutem nonnulli dixerunt, vnum quidem esse officium, seu præscriptam cuiq; à recta ratione actionem, quæ pro materiæ quam tractat varietate diuersis rebus accommodata, quatuor illas, quas diximus, virtutes procreat. Est enim reuera duntaxat vna recta animi affectio, virtutum procreatrix omnium: quarum diuersa nomina sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperãtia. de quibus ordine disseremus: si illud primùm admonuerimus, non solùm ea quæ sacri spiritus dona vocantur, verumetiam omnes veras virtutes, vt piè censuit Plato in eo quem suprà nominaui dialogo, non nisi diuino munere nobis contingere: nimirum si Dei dona complectamur, & hoc duce ad finem peruenire contendamus.

Cur vnam tantùm virtutem esse nonnulli dixerint.

Cic. Nulla excellens virtus sine afflatu diuino.

De prudentia. CAP. XII.

PRVDENTIA *virtutum reliquarum velut magistra ac iudex, qua nullæ virtutes vacare possunt, rectè primo loco statuitur, dux actionum, & ars viuendi: quæ definitur à Cicerone, rerum expetendarum fugiendarumq; scientia: hoc est, recta mentis affectio, qua quid in actionibus humanis expetendum fugiendúmue, et quid verum falsúmue sit cognoscere, & quæ sint ad felicitatem adipiscendam vtilia comparare studemus: à Cornificio in Rhetoricis ad Herennium, calliditas, quæ ratione quadam potest delectũ habere*

Prudentia est, moderatrix actionum, rerum honestarũ & vtilium cognitionem expetẽs.

habere & bonorum & malorum, quòd prudentiæ vis omnis in rerum bonarum & malarum, & nec bonarum nec malarum delectu cernatur. Calliditatem intelligit, non illam vitiosam, quæ sæpius hoc nomine vocatur; sed eam solertiam, quæ occultè cum honesta aliqua atq; vtili dißimulatione subit. Ad quam vafrè dicta, & callidè facta, quæ in re militari appellantur Strategemata, referuntur. Ab eodem quoq; dicitur Prudentia, multarum rerum memoria, & vsus complurium negotiorum. Quamuis autem Prudentia, sicut reliquæ virtutes, in actionibus humanis versetur: præcipuè tamen ei veritas, quasi materia, quam tractet, subiecta est. Et certè propria hominis esse videtur inquisitio & inuestigatio veri. Ad veri inquisitionem referuntur ab Aristotele virtutes sub intelligentiam cadentes, quinque: Scientia, Ars, Prudentia, Intelligentia seu mens, Sapientia. quarum Scientia, Sapientia, & Intelligentia certam notitiam & perfectam virtutem postulant: Ars & Prudentia probabilem. Scientia definitur, certa ac firma rei alicuius per caussam cognitio atque perceptio, quæ vel ex insitis animi notionibus per se cognoscitur, vel rationum demonstratione comparatur: estq; earum rerum quæ aliter se habere mutaríue nequeunt, vt Mathematica, vt Theologia. Ars dicitur, habitus ratione conficiendi ea quæ aliter habere se possunt: vt omnes artes humanæ. Prudentia definitur, habitus ratione conficiendi ea quæ sunt homini vel bona vel mala. Est hæc item vt ars earum rerum, quæ aliter habere se possunt. Hinc prudens dicitur, qui & sibi & alijs bene consulere potest; vtilis et ad rem familiarẽ, et ad remp.

Variæ Prudentię definitiones.

Strategemata, callida consilia ducum.

Prudentiæ materia, veritas: cuius inuestigatio propria est hominis.

Ad veri inquisitionem necessaria.

Scientia.

Ars.

Prudentia.

Intelligentia.

administrandam. Intelligentia dicitur habitus principiorum, ex quibus probationes petuntur, percipiens.

Sapientia.

Sapientia definitur scientia perfectißima eorum quæ sciri ab homine possunt, quæ rerum diuinarum humanarumq́ scientiam conplectitur, sed magis diuinarum, vt humanarum prudentia, quam Arist. lib. 1. cap. vlt. magnorum Ethicorum sapientiæ procuratricem vocat. Prudentiæ coniunxit ille artem, scientiam, intelligentiam & sapientiam: quòd tametsi virtutem quidem scientiam esse neget, non tamen sine hac illam constare posse arbitratur. Et si enim sola virtutibus proposita sit bonitas, et disciplinis veritas: cùm tamē huius inquisitioni sit adiuncta boni cupiditas; nō absurdè videntur appellari posse virtutes, scientia, sapientia, ars, & intelligentia; si prudentiæ actionibus inseruiant, et boni inuestigationem adiuuent; non autem soli rerum contemplationi vacent; cùm virtutis laus omnis in actione & vita rectè instituenda consistat. Quamobrem licebit ita prudentiā definire, vt sit virtus, quæ veri boni ac sapientiæ rerumq́ honestarum & vtilium cognitionem expetit, reliquarúmque virtutum actiones moderatur.

Esse neget) In Ethicis ad Nicom. nam in magnorum Ethicorum lib. 1 cap. 33. & 34. ait virtutem esse non solùm sapientiam, verum etiam prudentiam: quòd prudentis officium sit optima sequi, & horum semper esse in deligendo & agendo studiosum.

Plena prudentiæ definitio.

Prudentiæ est, verum indagare, & summum bonum.

Prudentia igitur comites adhibeat intelligentiam, ad res cognoscendas: scientiam, ad verè percipiendas: artem, ad communem vitæ vsum: sapientiam, ad rerum diuinarum inuestigationem: vt his adiutricibus ad veri notitiam perueniat; ipsumq́ summum bonum atque omnis sapientiæ fontem viuum cælestibus aquis atq́ in vitam æternam exilientibus profluentem comprehendat. Iam cùm singulis virtutibus certæ quædam in animo sedes, vnde oriantur, attributæ sint; prudentiæ datus est in mente

Prudentia sedē habet in ratione: fortitudo in ira cohibenda: temperantia in cupiditate: iustitia verò totius animæ est: Ex Archyta.

mente ac ratione locus, reliquis in voluntate: cùm prudentiæ ſit officium, quid in rebus agendis rectum prauúmue ſit, inueſtigare, ac recta ratione dijudicare. quod quidem non ingenio tantùm, quamuis acri, ſed magna rerum plurimarum cognitione comparatur. & rectè dictum eſt, Longo prudentia ſurgit ab vſu: vt intelligamus habitum mentis, vnde hæc veri inquirendi ſolertia naſcitur, prudentiam dici: quæ ad varias hominū actiones bene iudicandas longam vitam, & multarum rerum vſum ac memoriam, & præſentium cognitionem requirit. Prudentem quoque naturali quadam veri perſpiciendi ac dijudicandi facultate præditum eſſe oportet: qua præſentia cernat, ac diligenter excutiat, præterita repetat, & futura præuideat: qua conſultando, & ſolerter inquirendo valeat: qua perſpiciendo quid in quaq; re verum, & quid agendum ſit: qua rectè iudicando, & quid pulchrum, quid turpe, quid vtile ſit, callidè ſagaciterq; ſtatuendo. Tres enim partes à Cicerone prudentiæ ſubijciuntur; Memoria, per quam animus præterita repetit: Intelligentia, per quam ea quæ ſunt perſpicit: Prouidentia, per quam futurum aliquid videtur, antequā eueniat. Tres item ab Ariſtotele numerantur; εὐβουλία, bene cōſulendi facultas; ſeu, conſilij ex tempore capiendi ſolertia. eadem induſtria ac ſagacitas in inueniendo ac prouidendo dicitur ἀγχίνοια, ad deliberationes & res dexterè gerendas maximè neceſſaria: σύνεσις intelligentia, perſpicientia ac ſolertia conficiendi id, quod recto conſilio inuentum eſt: & Gnome, ſententia intelligens; ac rectum de rebus agendis boni ac moderati viri iudicium, & conſtantia in eo quod æquum & bonum

Prudentia imperat: parent fortitudo & temperantia: ſed iuſtitia miſta eſt. Ex Theogn.

Ad bene iudicandum opus eſt acri ingenio & longo vſu & memoria.

Tres prudentiæ partes.

Prudentis officia.

bonum est. Prudentis igitur & intelligentis viri est (vt paucis complectar) multa scire & generalia & specialia: præteritorum meminisse: futura prospicere: præsentia perpendere: valere consilio, perspicacem esse, & bene iudicare: ac præterea vitam agere non solùm integram; verumetiam, vt locus ac tempus in hac vita communi postulabunt, paulò cautiorem et diligentiorem: tùm verò in omni virtutum explicatione diligenter expendere atq; æstimare personarum ac rerum attributa, quæ circumstantiæ vocantur: quarum mutatione fit interdum, vt quod nefas erat, fas esse videatur: vt, non licet hominem occidere, latronem licet. Et quod graue erat, grauius efficiatur: vt, furari turpe est, sed turpius in templo. Deniq; omnibus in rebus videre, quid æquitas postulet, quid persona, locus, tempus: vt vbiq; modus teneatur ac decorum seruetur. de quo lege quæ Cicero scripsit lib. 1. de officijs. Ac de prudentiæ quidem officio, quod in actionibus humanis seruari debet, hactenus. Quoniam autem humanarum actionum varietas in tria genera dispartita est, vt aliæ sint actiones singulorum, quæ sunt vniuscuiusq;, & communes: aliæ domesticæ, quæ ad familiæ administrationem pertinent: aliæ ciuiles, quibus ad publicam hominum societatem conseruandam vtendum est; triplex quoque prudentiæ vis intelligi potest: vna communis omnium, quæ monastica dicitur: altera œconomica: tertia politica, quæ omnium præstantissima censetur; quòd in bono maximè communi versetur; ad quam tamen ordine perueniendum est. neq; enim aut familiam aut remp. bene administrabit, qui non sit vir bonus, & morum præceptis instructus, atque ad

Ex tribus actionum generibus triplex prudentia constituitur.

Politica prudentia præstantissima est.

omnem

omnem virtutem formatus & paratus ad remp. veniat, & rectè norit familiam gubernare. Trium harum moralis Philosophiæ partium duas posteriores, quamuis eæ singulatim ab Aristotele tradantur; hîc tamen etiam, quòd à Prudentia gubernentur, quæ (vt in Partitionibus Oratorijs Cicero ait) in suis rebus Domestica, in publicis Ciuilis appellari solet, breuiter complectemur. Cur hoc loco Oeconamica & Politica tradantur.

De Oeconomica. CAP. XIII.

DICTVM *est de ea prudentiæ parte, quæ in vniuscuiusque hominis actionibus cernitur: nunc de ea dicendum est, quæ domesticis officijs continetur, quam Græci vocant* οἰκονομικὴν, *id est, rationem bene gubernandæ familiæ, seu quæ est de tuenda re familiari.* Quid œconomice. *Versatur enim hæc ratio in familia, tanquam in materia quam tractet: cui propositus ille finis est, vt familia prudenter & ad vitam commodè agendam vtiliter pro dignitate cuiusque regatur, qualiscumque sit ea, siue regis, siue satrapæ, siue ciuitatis, siue hominis priuati: de quo hic potissimùm agimus.* Finis œconomices. *Omnis autem familia duabus ex partibus constat, homine & re familiari.* Quibus ex partibus familia constet. *homo complectitur patremfamiliâs seu dominum, vxorem, liberos, seruos: res familiaris verò domum & opes. Hæc ordine perstringamus, & à patre familiâs, quòd is prima constituendæ familiæ sit origo, principium ducamus. Debet igitur primùm pater familiâs (quē vxori prudentia, et æquitate præstare, ac natura studiosum amicitiæ coniunctionisque ac propagandæ prolis intelligimus) & scire & posse tueri societatem vxoris ac liberorum, quam à natura ortam lex ac ratio moderatur: vt quod naturale est, idem fiat & legiti-* Natura boni patrisfamilias. Societas œconomica à natura orta est.

legitimum & pium: sintq́; proprij coniugum liberi, non, vt Plato voluit, communes: Deinde, vt reliquis virtute præstantior humanum atque beneuolum imperium retinere in suos tum liberos tum seruos. quorum illi sæpe ingenio liberaliori sunt, hi plerumque abiectiori. Constituta iam familia, quærendum est alimentum, victus, vestitus ac tectum, quod ab intemperie cœli & bestiarum incursu defendat. Alimentum suppeditabunt agricultura, venatus, aucupium, piscatus, opificium. Iam cùm paterfamiliâs & vxor primariæ sint, et efficientes familiæ caussæ, liberi verò & serui tanquam instrumenta quædam, omnesq́; in domo & re familiari veluti materia versentur; nos hîc primùm de domo ac re familiari pauca dicemus: deinde personarum, quæ modò nominatæ sunt, indicabimus officia. Domus omnium primùm comparanda est, quam vitæ necessitas homines ædificare coëgit, vt haberent quò se reciperent, vt aues in nidos, bestiæ in latibula: fueruntq́; initiò domus ad necessarium vsum extructæ, mox ornamenta paullatim accesserunt. Habenda primùm ratio est ipsius vsus & commoditatis, deinde dignitatis cuiusque. cauendus est in ædificando sumptus nimius, & damnosa magnificentia: & ne domus fundum, vt ille monebat, desideret. Spectanda est loci salubritas & commoditas, aliaq́; multa quæ Victruuius & philosophi, qui de re familiari scripserunt, diligenter explicarunt. Atq́; hactenus de domo, deinceps de re familiari dicamus ea vel naturalis est, & omnium optima: vt agricultura, venatio, piscatus. vel artificiosa, quæ lucrum spectat: vt opificia et artes, quibus victus quæritur. Sunt præterea aliæ partim liberales,

Alimẽtum vnde comparetur.

De domo.

De re familiari.

berales, partim illiberales: vt pictura, vt typographia, vt architectura, quæ & ingenio & manu perficiuntur. Ex his artibus, quæ multæ ac variæ sunt, ob varias hominum neceßitates inuentæ, paterfamiliâs eam quam nouerit, exerceat, & alimentum honestè sine vllius iniuria ac fraude sibi suisq; comparet: vitet noxias & odiosas artes: quærat vtiles. Odiosus quæstus est, fœneratorum & publicanorum: turpis, etiam eorum mercatorum qui mendacijs ditantur: turpior etiam eorum, qui voluptatum administri sunt. Quæsita paterfamiliâs conseruet, et his frugaliter vtatur, sciatq; non minoris artis esse, quàm quærere, parta tueri. Atque hæc breuiter de domo & re familiari perstrinximus: nunc persequemur officia domesticorum, ac primùm patrisfamiliâs, de quo suprà cœpimus dicere. Primæ huius erit cura, vt vxorē ducat vir annos ad triginta natus puellam paulo minorem, aut certè non multo maiorem annis viginti, vitæ ac fortunarum sociam atq; participem, honestam, prudentem, modestam, bonis parentibus natam, bene sanam, opibus ipsi ferè parē, non superbam, non morosam, quæ & amari et amare poßit. eam non aliter ille quàm seipsum amabit, sociam ac consortē vt administrationis atq; laboris domestici, ita & fortunarū ac rerum omnium: et quidem solam indissolubili vinculo cōiunctam amabit, atq; vt liberam decet, non nimis arctè, si modò nullus pudicitiæ iustus metus obstet, continebit: nec tractabit illiberaliter, sed honestè, piè, pudicè, benignè, clementer, vt se virum Christianum esse meminerit, caput quidem vxoris, sed quam vt sui dimidium diligere debeat; & suo etiam quodam iure sinat vti.

Honestis artibus quærendus victus.

Officia patrisfamilias.

Qualis vxor ducenda & quomodo tractanda.

susceptos

susceptos ex vxore liberos communi cura cum ea studiosè ac diligenter educabit: eiq́; præcipuum tenera corpuscula curandi studium delegabit: Eos ab ineunte ætate ad virtutem & pietatem teneros informabit, et bonis ac necessarijs artibus instituendos curabit: rem suo studio & industria honestè & sine inuidia quæret: & probatam rei faciendæ rationem tenebit siue mercaturis faciendis, aut opificijs exercendis; siue alijs honestioribus & liberalioribus opes & honores quærendi modis, qui plurimi sunt, victum & sibi & suis ministrabit, si sit opus quæsito. Quòd si res non parienda labore, sed à parentibus relicta sit; eam diligenter tuebitur; & prudenter ac moderatè sumptus faciet, habita loci & conditionis ratione: vt nec prodigus nec auarus habeatur; malitq́; semper & haberi & esse liberalior quàm sordidior. Si dominus habet seruos; nouerit eis rectè vti; et instituet, humaniterq́; tractabit: sin mercede conducti bona fide seruiant; horum opera vtetur, & exercebit eos labore conueniente, non defatigabit: & alet vt oportet; curabit vt necessaria domus instrumenta; & in officio continebit; nec insolenter efferri patietur. Pactam eis merceden suo tempore benignè soluet. Si plures erunt serui; pro captu cuiusq́; vel digniori vel abiectiori muneri eos præponet. Vxor domum diligenter & assiduè curet; ac præsens rebus domesticis adsit; obseruet famulorum operas: maritum reuereatur; non difficilis & morosa, sed pudica, & pudicè ancillas & liberos aliosq́; omnes in officio pacatos atque tranquillos contineat: non superba, non sumptuosa: neq́; verò sordida, sed decenti cultu pro opibus ornata. liberos suo lacte, si posſit, alat infantes, & eorum tenera

Quomodo res non parta labore, sed relicta conseruanda sit.

Quomodo serui tractandi.

Officia vxoris.

nera corpuscula diligenter curet; eosq; honestè, non sordidè sed frugaliter educet : rem familiarem augere studeat; & labore mariti partam sua frugalitate conseruet. Liberi suos parentes reuereantur, ament, & (vt ipse Deus præcipit) honorent: imperata faciant libenter; illis morigeri sint in omnibus rebus, dum nequid impium aut inhonestum postuletur. Ferant patrem quamuis durum, nec ei respondeant irato: et meminerint vbiq; pietatis et obedientiæ, quæ parentibus debetur: obtemperent quoque præceptoribus, qui sunt animorum formatores, ac veluti alteri parentes. nam vtrisq; idem propositum est, rectè instituere liberos. destinatis studijs incumbant; ocium & voluptatem in primis vt pestes vitent: maiores natu, reiq; pub. tum sacræ tum profanæ gubernatores, & viros bonos ac sapientes reuereantur: eos verò à quibus eorum & lingua & pectus optimis artibus ad omnem humanitatem informantur, præcipua quadam beneuolentia colant. Serui subiecti sint, & fideles dominis, dicto audientes, & semper ad imperium parati : heros vt parentes obseruent, & ament : frugales, moderato victu & necessario vestitu contenti, rem dominorum augere velint; nihil suffurentur : dominum patienter ferant, si morosior erit; si facilior, ne contemnant. An Christianis liceat habere seruos, & an aliqui sint natura serui, quod Aristoteles affirmat, alijs disputandum relinquo.

Officia liberorũ

Officia seruorũ

Lib. VII. de Rep. cap. II.

De politica. CAP. XIIII.

QVEMADMODVM *ex singulis hominibus constat familia, sic ex multis familijs Respublica & ciuitas, id est cœtus hominum eiusdem imperij tutela,*

Quid Respublica

ac iuris communione sociatus, qui rerum suarum statum per se tueri possit. In rep. bene gerenda maximè cernitur Prudentia, sine qua nulla hominum societas regi potest. Politia seu Respub. breuissimè definitur à Plutarcho in libro de tribus reipub. generibus, status & ordo ciuitatis, in rebus gubernandis obseruandus. Ciuilis hæc prudentia ciuium actiones præscribit: ac tota in ciuium societate defendenda, velut in materia, quam tractandam suscepit, versatur: eumq́ sibi propositum habet finem, vt respubl. bene geratur, ac ciuium saluti consulatur. ad quem peruenitur obseruatione religionis, iuris ac legum; studio communis vtilitatis atq; concordiæ, & recta iuuentutis institutione; vt honesta sit & inculpata vita; vt vis & iniuria puniatur, vt suum cuiq; tribuatur: hoc est, vt piè, iustè, ac tranquillè viuatur. Discrimen hoc Aristoteles inter familiam & rempub. esse tradidit; vt in republ. sit iuris æqualitas, qua summi cum infimis exæquantur; in familia verò, dominus regis imperium habeat in liberos et seruos, vt subiectos, inter quos huiusmodi æqualitas esse non potest. Rerumpub. sex formæ numerantur: tres bonæ, quas rex, optimates, et populus, iustè, atq; ad communem totius ciuitatis vtilitatem accommodatè administrant: totidemq́ prauæ, quas tyrannus, paucorum factio, & plebs, pro sua libidine regunt, omnia ad suum commodum rapientes. Nulla videtur vllius gentis ciuitas esse, quæ non ad earum aliquam referri possit. Eam rempub. quæ ex tribus illis, quæ rectæ iudicantur, est constituta, Cicero secundo libro de Repub. optimam esse arbitratur, quòd ea præstantior sit, vtilior, et durabilior singulis. Apud Romanos,

Definitio ex Plutar.

Quibus in rebus salus Reip. posita sit.

Formæ Rerum publicarũ; tres bonæ; monarchia, aristocratia, democratia: tres item prauæ, tyrãnis, oligarchia, ochlocratia seu anarchia.

Quæ sit optima Resp.

nos, post exactos reges resp. primùm Aristocratica, deinde plebis secessionibus mutata vsque ad Iulium & Augustum Democratica videtur fuisse moderatione quadam Regni & Aristocratiæ sic temperata, vt regia quædam maiestas in Consulibus emineret, Aristocratia in senatoribus, Democratia in tribunis pleb. sed penes populum tamen summa potestas esset. nunc regia monarchia senatus ac prudentum consilio stabilita, certisq́ legibus ad moderandam vim principum ac nimiam potentiam necessarijs temperata merito propter vtilitatē ac tranquillitatem omnibus videtur præferenda; præsertim cùm non electione, sed diuina quadā prouidētia natis iure sanguinis regum ac principum liberis parētum successoribus aut propinquis regna deferātur. Omnis autē bona Resp. recto consilio et iusto imperio conseruatur: quibus mutatis facillimè labefactatur. Quoniam autem ciuitas ex multitudine ciuium iure viuentium cōstat; quales eos esse oporteat siue nobiles illi sint & locupletes, siue ignobiles & tenues; siue consilio ciuitatem gubernent; siue armis defendant; siue artes necessarias exerceant, breuiter ostendamus. Bonus patriæ ciuis appellandus est, qui ciuilibus ornatus virtutibus, & in primis iustitia & fortitudine, quas prudentia & temperantia moderantur, officia non tantùm domestica et familiaria, verum etiam publica & domi & bello rectè exequi posit. Ad virtutes & honestas ac necessarias artes docendas publicis præceptoribus opus est & probis & eruditis; quorum diligentia pueri ab ineunte ætate rectè instituti, præstantes virtute ac pietate, rerumq́ optimarū cognitione vtiles patriæ ciues euadant. Quòd si parentum

Qualis apud Romanos fuerit Resp.

Monarchia temperata ceteris præferenda.

Quibus rebus præseruetur Resp.

Quis bonus ciuis?

Qualibus præceptoribus sit vtendum.

 tum

tum opes non ferant, vt filij per otium studijs liberalioribus instituantur; proximum est, vt aliquod opificij genus doceantur, quo victum quærant. cauenda autẽ
Otium & voluptas cauenda.
sunt omnibus diligenter otium & voluptas: studium semper, & honesta atq; vtilis exercitatio quærenda est
Domestica vitiorum exempla cauenda.
tum animorum tum corporum. Efficiendum est omnibus bonis ciuibus, maximè verò parentibus & præceptoribus, vt quoniam pueri et adolescentes facilè quidvis imitantur, his vitæ integritate præluceant, sintq; minoribus natu virtutis exemplum: auferatur omnis, quantum fieri potest, occasio peccandi: remoueantur
Cur magistratui parendum.
libidinis ac voluptatis incitamenta: magistratui pareatur, si bonus est; vt patriæ parenti, cui diuinitus data est potestas: sin malus, patienter feratur, & sine seditione modestè sui officij, & suppliciter admoneatur. Leges obseruentur; colatur in primis religio; pax inter ciues & concordia retineatur: caueatur omnis discordiæ caussa: sua quisque curet: nec ad rempub. nisi vocatus accedat: quieti semper consulatur: vectigalia soluantur: patria cuique sit charissima, pro qua nec mortem, si sit opus, oppetere bonus ciuis dubitabit. Patriæ enim prima post Deum caritas debetur, ac magistratui: proxima parentibus & cognatis; tertia
Officium peregrini.
ciuibus iuris communione sociatis. Peregrini sua tractent negotia, nec de alienus curiosiùs inquirant: mo-
Officium magistratus.
destè se gerant. Magistratus officium est studere saluti
Magistratus bonus, & prudens & Reip. studiosus.
& incolumitati & vtilitati Reipublicæ: prudenter eam regere: tueri Ecclesiam; curare Scholas, bonos mores, instituta ac disciplinam ciuitatis: moderatè ac scienter ijs, quibus præest, vti (quod efficere non poterit, nisi vir bonus, & qui consilio ac sano iudicio plurimum

mum valebit, cui iure parendum ſit, vt præſtantiori) tueri leges, vt obſeruentur, quibus & ipſe parebit: Præſcribere quæ recta ſunt, & cum legibus atq; æquitate coniuncta: pro dignitate perſonæ, quam induit, ſe gerere decenter, humanè, modeſtè, iuſtè, non ſordidè, non auarè, non ſuperbè, non moroſè, non crudeliter: ius æquum omnibus dicere: nihil iræ aut gratiæ tribuere: clementem ſeueritatem & æquitatem in animaduerſionibus ac ſupplicijs adhibere: ne eadem de re accuſatos alios aſperiùs, alios mitiùs (niſi quid obſtet, quod ita facere cogat inuitum) puniat: curare ex æquo ciues omnes & diuites & pauperes, nobiles, ignobiles: malos pœnis afficere, bonos præmijs: arbitrari ſe patrem eſſe reipub. procurare ciuitati neceſſaria, vt annonam, ſi fortè inopia & caritas rei frumentariæ timeatur, vt alia quibus in difficilibus reip. temporibus eſt opus: maximam verò tum rationem habere pauperum, cùm neceßitas maximè premit, præſertim popularis, qualis eſt annonæ difficultas. Peregrinos atq; aduenas et incolas humanè atque benignè tractare, ne malè apud exteras nationes ciuitas audiat: denique curas omnes ad ſalutem reip. referre: huius commodis vtilitatibuſq; ſeruire; huius dignitatem inprimis & decus vbique conſeruare. Et quoniam vnus omnia munia ſuſtinere non poteſt; pluribus ad varia officia magiſtratibus opus eſt: quorum tamen omnium idem ſtudium eſſe debet, conſulere ciuium commodis, & eorum vtilitati ſalutiq; ſeruire diligentiùs quàm ſuæ. Cùm autem res ardua ſit et difficilis, Remp. bene adminiſtrare; ſemper ad opem diuinam omnibus confugiendum eſt, quo nullum præſidium certius. Niſi

Parendum virtute & ſapientia præſtantibus

Tueri) hinc Magiſtratus ab Ariſtotele definitur, cuſtos legis.

Mali pœnis, boni præmijs afficiendi.

Ope diuina fulcitur ciuitas.

enim, vt in psalmis canitur, Deus custodierit ciuitatē, frustra vigilant qui custodiunt eam. Quod si fortè bellum sit gerendum; cùm nihil eo perniciosius reip. diuinitus immitti poßit; retineatur illud Terentianum, Consilio omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet. Si non potest euitari; quod in omnes intenditur periculum; prudēter adeundum est, fortiterq́ propulsandum; de quo pacis etiam tempore cogitandum est: sed nullum, nisi iustum, suscipiendum est bellum: ad quod bene gerendum, adhibenda est præparatio diligens: quærendi strenui duces, & rei militaris periti, nec fortes modò, sed prudentes etiam et callidi: maturè conquirendi milites siue pedites, siue equites, siue claßiarij, necessarijs armis instructi, & eorum delectus habendus: conficienda est pecunia, quæ verè neruus belli dicitur: continendi milites in officio, quorum præcipua virtus est, obedire ducibus: sed illis vt imperari poßit, suo tempore stipendium soluendum est: cauendúmque ne spolient & vexent eos, ad quos defendendos conducuntur: quod ex veteri querela tum rusticorum, tum oppidanorum, quibus illi præsidio scilicet esse debebant, quàm crudele sit & graue miseræ plebi, nimis notum est. Non conuenit, magistratū rei militaris esse omnino rudem aut inexpertum. & quamuis hoc tempore longè sit alia, quàm veteribus fuit, belli gerendi ratio, propter nouum illud tartarei fulminis inuentum; plurimùm tamen prodesse poterunt veterum de re militari libri, velut Flauij Vegetij, Iulij Frontini, Aeliani, Polyeni, & similium, quorum lectione magna rei militaris scientia comparabitur: quæ si confirmetur veteranorum ac fortium

militum,

De Bello.

Duces.

Milites.

Rei militaris cognitio necessaria magistratui.

Libri de re militari ad bellum gerendum vtiles

militum, qui multis bellis interfuerunt, atque ducum strennuorum ac prudentium experientia, qui bellicas artes vsu longo didicerunt; quis dubitet eam fore absolutissimam? nec minùs hæc scientia ciuitati videtur necessaria, quàm togata prudentia, aut alia quæcunque sit ars ad vitam vtilis. Cùm enim tria sint in rep. hominum genera: vt magistratus, qui bene ac iustè regant: vt imperatores & milites, qui fideliter ac fortiter defendant: vt artifices & liberalium & illiberalium disciplinarum, qui necessarijs & vtilibus artibus iuuent, velut sapiētiæ studio, agricultura, mercatura, ceteris: idem tamen omnibus studium esse debet amabili concordia conseruandæ reipub. Ac de politica prudentia hactenus.

Ars militaris Reip. necessaria.

Tria sunt in Rep. hominum genera.

De vitijs prudentiæ contrarijs. CAP. XV.

V I T I V M *prudentiæ contrarium, est imprudentia, quæ contraria quoq; ratione definiri potest, inscitia atq; inopia consilij & facultatis discernendi res bonas & malas, seu verum inuestigandi, seu dijudicandi quid agendum atq; expetendum fugiendúmue sit. Commune hoc malum est vitijs omnibus, sicut prudentia virtutibus, quòd nulla virtus consilio prudentiæ carere possit: omnisq; iniustus & ignauus & intemperans, idem imprudens dici debeat. Imprudentiæ comites sunt, error animi, & temeritas recto iudicio contraria: multumq; fortunæ tribuit imprudens, quam vt numen colit, cùm ratione atq; consilio non vtatur: & affectibus indulgens ea sæpius admittit, quorum postea pæniteat: vel contrà per ignauiam ac negligentiam nec liberos nec coniugem curat, nullam in familia disciplinam, nullam auctoritatem retinet. Talis in*

Imprudentia communis omnibus vitijs vt prudentia virtutibus.

Imprudentiæ coniunctus est error & temeritas.

Imprudens à fortuna pendet, sed melius ille sensit, qui dixit: Nullum numen abestsi sit prudentia: sed te Nos facimus Fortuna deam, cæloque locamus.

Qualis œconomus imprudens. Qualis magistratus vrbanus vel militaris imprudens.

repub. si magistratus erit, improbi datam sibi licentiam peccandi arbitrabuntur: si talis Imperator, ignaui milites reddentur, etiam illi quos acceperat strenuos, quales ante Numantiam Scipio Aemilianus offendit, quos ad pristinam virtutem restituta militari disciplina reuocauit, nullamq; rei bene gerendæ occasionem prætermisit. Ex quo facilè intelligitur huic vitio remedium optimè adhiberi institutionem ac disciplinam, siue monendo atq; excitando, siue docendo.

Remedium imprudentiæ.

Calliditas, vitiũ, quando virtus dici possit?

Est etiam calliditas vitium, quod simulatione virtutis fallit incautos: cui cùm non sit propositum inuestigare verum, prudentia dici non potest, sed subdola & versuta prudentiæ imitatrix: quæ tamen interdum virtus habetur, si ad bonum finem referatur. Sed cognitis prudentiæ partibus & actionibus, non erit difficile contrarias videre: verùm diligenter cauendum est, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem imitari videntur.

Decipimur specie recti. Horat.

Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum, vt idem ait, sed eorum alterum facilè, alterum difficilè cernitur.

Est ipsa quidem virtus, inter duo ferè extrema mediocritas, sed quorum alterum apertè vitium est, facileq; cernitur: vt cùm prudentiæ opponitur imprudentia, iustitiæ iniustitia, fortitudini ignauia, temperantiæ intemperantia, liberalitati auaritia. Alterum verò, quia virtuti finitimum vitium est, non ita facilè cernitur, vt cùm prudentiæ calliditas seu malitia tribuitur, iustitiæ acerbitas, fortitudini audacia, temperantiæ immanitas in voluptatibus aspernandis: liberalitati effusio, perseuerantiæ pertinacia. Ouidius:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

De iustitia. CAP. XVI.

IVSTITIA est, quæ suum cuiq; tribuit, & suo

quemq; officio fungi iubet. Eam Cicero dominam omnium & reginam virtutum vocat, intelligens, vt opinor, illam generalem, & vniuersam virtutem, reliquarum comitatu perfectam: quæ est omnium animæ partium consensio, & quædam velut harmonia: cùm appetitus rationi parent. Eam ille definit habitum animi, qui communi vtilitate conseruata, suam cuique tribuit dignitatem: Et, affectionem animi, quæ suum cuiq; tribuit, ac societatem cõiunctionis humanæ munificè & æquè tuetur. Definitur etiam ab eodem, æquitas, ius suum cuiq; tribuens pro dignitate (ac merito) cuiusq;. Aristoteles appellat animi affectionem, qua homines apti redduntur ad iustè agendum, quaq; ea quæ iusta sunt & volunt & agunt: eodemq; modo iniustitiam, qua iniuriam faciunt, & res iniustas volunt: Iurisconsulti, constantem & perpetuam voluntatem ius suum cuique tribuentem. Versatur enim iustitia in distribuendo iure, tanquam in materia; vt æqualitas, quam ius parit, conseruetur. Vitia contraria singulis sunt; huic iniustitia, illi iniuria: fortitudini & temperantiæ plura. Nihil est hac virtute magis ad conseruandam generis humani societatem necessarium, nihil naturæ, quæ nos ad omnem humanitatem mutuamq; beneuolentiam informauit, conuenientius. cuius munus est, nocere nemini, & prodesse velle omnibus. Sola virtutum omnium in bonis alienis spectatur, quæ non ad suum, sed ad aliorum commodum omnia referat, vt scribit Aristoteles: qua de caussa reliquis virtutibus præstare videtur. Quòd si ad hanc societatem (vt eleganter lib. 1. de Legibus Cicero probat) nati sumus: ad iustitiam quoq;, sine qua societas

Variæ definitiones Iustitiæ.

Arist. lib. 5. Eth.

Iustitia in iure distribuendo versatur, quo conseruatur æqualitas.

Vitia, iustitiæ iniustitia, iuri iniuria contraria.

Iustitia commoda aliorum spectat.

Ad humanam societatem & iustitiam nati sumus.

illa, coniunctioq; constare non potest, natos esse nos fatendum est: eamq; naturaliter insitam nobis tanquam facem prælatam ad iustas res agendas fugiendasq; contrarias, rectæ rationis iudicio, Dei concessu ac munere datam: quæ si agendi consuetudine confirmetur, tum demum habitus virtutis, cuius tanquam paruos igniculos natura dedit, & perfectio comparabitur. Quod de mediocritate iustitiæ quæritur, est illa quidem (vt Aristoteles censet) mediocritas, sed aliter atque reliquæ virtutes morales, inter vtrumque extremum posita, quæ refertur ad ius & æqualitatem: in qua conseruanda versatur, sicut in inæqualitate, iniustitia, & iniuria, perturbatrix æqualitatis & iuris.

Iustitia Dei donum.

Iustitiæ mediocritas qualis? Arist.) Nam iustè agere, medium est inter facere & accipere iniuriam: quorum illud iustitiæ contrarium est, hoc nō est: illud autem plus obtinere est, hoc minus, vt ait Arist. lib. 5. cap. 9.

De partibus iustitiæ. CAP. XVII.

IVSTITIÆ partes duæ sunt: vna, communis & vniuersa, quæ est obedientia, qua inferiores animæ partes rationi subijciuntur. Ea in cōseruanda humanæ societatis æqualitate versatur, & commune bonum spectat, docétq; legem & æquitatem colere: altera, priuata, quæ in reddendo quod debetur cuique, cernitur. eáque duplex est: vna quæ in commercijs ac negocijs æqualitatem conseruat, quæ vulgò commutatiua dicitur: altera, quæ in distribuendis præmijs & pœnis pro cuiusq; merito, quam distributiuam appellant. Iustitiæ communis officium est, legem & æquitatem conseruare, ex quo iustus appellatur, qui legibus omnibus cum Dei et naturæ lege congruentibus obtēperat. Lex definitur à Cicerone, Ratio insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibétque contraria: itemq;, Recta, et à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. huc omnes reeantur

Consensus omnium animi partium.

Duplex iustitia, Communis & priuata.

Commutatiua in rebus, Distributiua in personis versatur.

Iustitiæ communis officium.

Lex:

Legum bonarum auctor Deus.

ferantur leges, instituta, mores, iura ad reip. conseruationem necessaria: in quibus obseruandis iustitia cernitur, in violandis iniustitia. Legi se coniungit æquitas, quæ rectum secuta rationis iudicium, legem scriptam moderatur, & seueritatem acerbiorem prudenter pro loco, tempore et hominum ingeniis mitigat, optima legum omnium interpres, quæ distribuẽtis iustitiæ pars Aristoteli videtur. Nihil autem aliud inter legem & virtutẽ interest, nisi quòd ea quæ recta sunt virtus docet, ad eáque propositis & commodis & incõmodis exhortatur, sed lex iubendo & prohibendo cogit. Iustitiæ priuatæ pars illa, quæ distributiua dicitur, ad magistratus potissimùm pertinet: quæ non tantum in officiis & muneribus pro dignitate cuiusque tribuendis, verumetiam in pœnis constituendis versatur, vt æquali iure ciues regantur, boniq; præmiis, & mali suppliciis vel maioribus vel minoribus afficiantur. Est hoc quidem magistratus officium: sed huius virtutis cognitio omnibus est necessaria, vt suum quisque locum, quem in repub. teneat, et munus, quo fungendũ sit, intelligat: suumq; tribuat ac relinquat cuique & locum & munus, seq; norit ipse, nec insolentiùs efferat. Hæc virtus, quoniam æqualitatem conseruare maximè studet, geometricæ proportioni comparatur; in qua maiorum minorumq; numerorum æqua ratio spectatur. Ea verò pars, quam commutatiuam appellant, in commerciis hominum versatur, & suum vnicuique tribuere docet, vt res pro rebus, precium pro merce detur, summa æqualitate conseruata: habetq; hæc magis debiti retribuendi rationem, quàm honoris digniori distribuendi: quamobrem & cum Arithmetica

Aequitas, moderatrix legum.

Scriptam) atque etiam morem.

Quid inter legẽ & virtutem intersit.

Distribuens Iustitiæ priuatæ pars in quibus versetur?

Se quisque noscat.

Geometrica proportio.

Commutans Iustitiæ priuatæ pars.

Arithmetica proportio.

tica proportione confertur, quòd in hac numeri, in illa rationis obseruetur æqualitas. Hæc in rebus cõtrahendis, quas explicãt Iuriscõsulti, spectatur: illa in honoribus et pœnis, quæ cõstituuntur à magistratibus. Comprehendi videtur hæc priuata iustitia sub illa communi tanquam species sub genere, quòd vtraque ius & æquum sequatur; illa propter legum auctoritatem, hæc propter æqualitatem, qua politica societas continetur, quam vir bonus, etiam nullis coactus legibus, conseruandam putat. Ac de vniuerso iustitiæ genere, eiusq; partibus, hactenus. Sed quoniam his aliæ sex partes à Cicerone definitæ in libris de Inuentione subijciuntur: religio, pietas, obseruantia, veritas, vindicatio, gratia; de his etiam dicendum est: quibus addentur liberalitas, magnificentia, amicitia, & singulis contraria vitia. Hæ virtutes, quoniam rationis æqualitate constant, distribuenti iustitiæ subijciendæ videntur, sicut omnis rerum contrahendarum varietas commutanti.

Sequentes virtutes distribuenti iustitiæ subijciuntur.

De sex iustitiæ partibus à Cicerone positis, earumque vitijs, atque alijs nonnullis quæ sunt illis cognata.

De religione. CAP. XVIII.

CICERO *libro secundo de Inuentione, iustitiæ tres partes subiecit: Ius naturæ, consuetudinis, & legitimum, quod æquitas & interpretatur, &, cùm opus est, corrigit. Ac naturæ legem definit, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat. cuius partes numerat sex, quas modò posui. Cõsuetudinis ius est, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobauit, vt pactum, par, iudicatum, & quæcunque sine scripto*

Quid ius naturę

Quid ius consuetudinis?

moribus

moribus recepta sunt. Legitima iura ex legibus cognosci oportet. Leges autem omnes aut publicæ aut priuatæ sunt. Ius naturæ omnium gentium commune est: ius ciuile speciale singularum ciuitatum, quod locis & hominum ingenijs accommodatum est. Vtrumq; duplex est, pertinens vel ad cultum diuinum, quæ Religio dicitur, vnde ius diuinum appellatur: vel ad hominum societatem, quæ dicitur Aequitas, vnde Ius definitur ars æqui & boni. Sed his ita breuiter enumeratis, & iuris prudentiæ studio relictis, sex illas iuris naturæ partes explicabimus. Religio, est iustitia erga Deum, seu pietas qua Deum colimus: ita nominata, vt Lactantius libro quarto scribit, à religando, quòd hac conditione gignamur, vt generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solùm nouerimus, hunc sequamur. hoc vinculo pietatis astricti Deo, *& religati sumus: cui summus amor ac longè maior debetur; quàm vxori, liberis, parentibus, & quicquid homini carum esse potest: cùm omnes omnium caritates vnus ille sit complexus. Plutarchus religionem interpretatur, scientiam rerum diuinarum: nos virtutem, qua iustus ac verus Deo tribuitur cultus. Quam vt omnium virtutum, ita & iustitiæ fundamentum, atq; adeò parentem rectè vocabimus. Nihil hac virtute ad conseruandam remp. vitamq; iustè, ac fraudis expertem inter ciues agendam magis necessarium est: cùm nulla vis alia magis arceat homines ab omni improbitate, quàm si senserint peccantibus à Deo paratum sibi supplicium, & piè ac iustè viuentibus, aditum ad cælum atque ad felicitatem æternam datum. Nulla fuit vnquam gens tam barbara, quæ non aliquam religionem*

Quid ius legitimum?

Religio. lib. 4. cap. 24.

Religionis obseruatio maximè Reip. necessaria.

Religio seu reuerentia erga Deum est omnibus hominibus innata.

religionem quamuis falsam coluerit, & numinis alicuius metu ab iniuria sit prohibita, cùm iusiurandum ad cōstringendam fidem vinculum arctißimum haberetur. Quid Christianos facere par est? quibus fides est omnis religionis fundamentum ab IESV *Christo Domino & seruatore nostro, & sanctis apostolis, eiusq; successoribus ita positum, vt nulla nec humana vi, nec inferna poßit euerti: quid (inquam) facere par est eos, quibus cum virtute viuentibus certißimam vitæ felicis ac sempiternæ spem Deus ipse dedit: cuius promißi fiducia quis verè pius pro sancta religione vel mortem oppetere, si sit necesse, dubitabit? Quàm facilè ab omni iniuria abstineretur, si illud Seruatoris Dei ac Domini nostri præceptum omnium animis esset altiùs infixum; Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. quam sententiam homines sapientes etiam à nostra religione dißidentes, ita sunt admirati, vt nihil diuinius, nihil ad hominum societatem conseruandam vtilius tradi potuisse, iudicarent. Religioni contraria est superstitio, nimia religio, quæ non vt oportet, numen diuinum colit: seu vanus & inanis Dei cultus: quo vitio detestabilior etiam pestis est impietas aduersus Deum, ac religionis & iurisiurandi contemptio, blasphemia perditorum, Epicureorum & atheorum; peruersæ de religione ac rebus diuinis hæreticorum opiniones: quibus reuerentia erga Deum, & fides omnis euertitur, quibus periuria, quibus sacrilegia confirmantur.*

Fides Christianæ religionis fundamentum est.

Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris, præceptum Dei, hominum mētibus inscriptum.

Contraria Religioni.

De pietate, CAP. XIX.

SECVNDO *loco numeratur à Cicerone pietas, quæ tametsi definiatur interdum ab illo, iustitia aduersus deos, vt sit eadem quæ religio: tamen sæpiùs accipitur*

accipitur pro iustitia erga parentes, seu grata voluntate in parentes. Sed in Rhetoricis absolutiùs definita est Pietas, per quam sanguine coniunctis, patriæq́ beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Itemq́ alibi: Pietas est, quæ erga patriam aut parentes, aut alios sanguine iunctos officium conseruare moneat. Rectè virtus hæc proxima religioni adiungitur, quòd primus Deo tribuendus sit cultus, proximus parentibus & propinquis, & in primis patriæ, quam Cicero omnes caritates vnam ait esse complexam. Contrarium pietati vitium est impietas, in eos quibus beneuolentia & caritas debetur. Aduersus hoc tam detestabile scelus, cùm ignotum adhuc esset parricidij nomen, legem ferre necesse non fuit: postea verò quàm exorti sunt, qui naturæ legem violantes, & beluis immaniores, eis vnde vitam acceperant, vim & manus inferrent, sancita lex est asperrima: de qua in Pandectis sub tit. ad l. Pompeiam, de parricidijs.

Quid pietas?

Cur proxima religioni pietas erga parentes.

Impietas.

Lex Pompeia de parricidijs.

De obseruantia. CAP. XX.

OBSERVANTIA *est, per quam ætate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur & colimus. Id enim naturæ lege præscriptum Deus ipse iubet, vt parentes & magistratus, quos ille præesse voluit, iusto cultu atque honore dignemur, & his libenter obedientes nos præbeamus. Hæc obediētiæ virtus adeò necessaria est, vt sine ea nec domus, nec ciuitas, nec vlla societas permanere possit. hac ipsa etiam virtute elementa cōseruātur, hac varij stellarum cursus, hac totius mundi compages sustinetur. Tolle obedientiā, quid efficiet magistratus vel sacer vel profanus? quid parētes? quid præceptores? quid in bello*

Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta sit, inquit D. Paulus ad Rom. xiij.

duces?

Contrariũ obedientię vitium cõtumacia vnde oriatur?

duces? Contrarium obedientiæ vitium est contumacia ac negligentia obseruantiæ : id quàm sit pernitiosum, primorum totius generis humani parentum grauißima ruina, quæ totum genus humanum afflixit, documentum nobis dedit. Oritur hoc vitium ex superbia & arrogantia atque φιλαυτίᾳ, *qua quis ipse de se bene existimans, seseq́ diligens, nimium sibi placet. Nihil autem est & Deo et hominibus odiosius superbia. semper enim, vt Latinus tragicus ait, Sequitur superbos vltor à tergo Deus. Testatur idem irreparabilis ille, & quo nullus grauior vnquam fuit, malorum Geniorum casus. Contrarium alterũ obedientiæ vitium est, simulatio obsequij, & ad res parum honestas obedientia.*

Execrabilis est superbia.

Alterum obedientiæ vitium contrarium.

De veritate. CAP. XXI.

VERITAS *est, inquit Cicero, per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur: seu, rectus animi habitus, quo quis & verum siue affirmando siue negando dicit, & nihil simulat falsum : vnde verax appellatur. Necessaria virtus est nõ solùm ad fugiendam in artibus sophisticam, et omnem in vita fucum, verùm etiam ad negotia contrahenda, in quibus fides dominari debet, quæ definita est dictorum factorumq́ constantia & veritas : nec aliud est in rebus, rationibusq́ contrahendis veritas, quàm fides : quæ si diligenter obseruetur, proprium iustitiæ munus explebitur; quod est, suum cuique tribuere. Veritati contrarium vitium est mendacium, itemq́ sophismatum calumniæ, omnisq́ fraus, & simulatio, atque arrogantia, & dißimulatio. Impium & perniciosum reip. mendacium est. nam & hominem à Deo, qui verax est, omnisq́ veritatis fons, auertit, ac diabolo*

Dicuntur) Non enim solùm intelligere quæ vera sunt, quod est prudentiæ; sed etiam agere & loqui oportet, quod est iustitiæ

Fides iustitiæ fundamentum.

Contraria veritati vitia.

Execrabile est mendacium.

bolo conciliat, mortemq́ animæ sempiternam affert: & humanam societatē fraudulenta negotiatione violat, odiaq́ ac dißidia fallaci lingua concitat. Molesta doctis est illa quorundā nimium sibi arrogantium vana præsertim iactatio. execranda verò calumnia, laudatio malorum, & vituperatio bonorum. Simulatio quoque indigna est bono viro, qui nōn aliud dicit ac sentit: non laudat præsentem, quem vituperat absentem: non dolo malo, sed prudenter, si sit opus ac sine fraude simulat aut dißimulat. Atque idem etiam interdum sumit eam sibi loquendi libertatem, quæ Græcè παῤῥησία dicitur, qua sæpenumero sunt vsi philosophi, sed vt Socrates faciendum monuit, nunquam sine vtilitate: ne odio magis quàm iudicio adhibita videatur: qualis illa Thersitæ Homerici fuit. Sed hac ipsa tamen abutuntur quidam, ad nimiam assentationem eruditi, qui hac via callidè gratiam aucupantur.

Quanta sint ex mendacio mala.

Iactatio

Calumnia.

Falsa laudatio & vituperatio.

Simulatio.

Loquendi libertas.

De vindicatione. CAP. XXII.

VINDICATIO *est per quam iniuriæ factæ, vel damna data puniuntur. Cicero eam definit, per quam vis, & iniuria, & omnino quicquid obfuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur. Et, Vindicatio, per quam aut contumeliam defendendo aut vlciscendo propulsamus à nobis & à nostris, qui nobis esse cari debent, & per quam peccata punimus. Sed hæc posterior definitio, excepta postrema parte, nobis ideo parum commoda videtur, quòd vltionem priuatam contineat; ab illo etiam probatam libro 1. de Officijs: quam scimus non solum à Christianis, verumetiam à profanis philosophis, nostræq́ religionis ignaris improbari, qui naturæ legem secuti iudicarunt melius esse pati, quàm*

Priuata vindicta non vtendum.

Melius est accipere quàm inferre iniuriam.

facere iniuriam: propterea quòd illud iustè fiat, hoc sine iniustitia fieri non possit, vt Aristoteles etiam docet lib. v. Ethicorum. illud quoq; patientiæ tribuatur, videlicet insigni virtuti: hoc autem vitio contrario. Nec verò quisquam putare debet aliud sibi esse concessum, quàm vt (si euitari non possit) vim vi repellat: idq; defendendi, non lædendi aut vlciscendi caussa. Animus enim nocendi iniustum facit: legitima vindicatio magistratibus, qui sunt legum ministri, diuinitus commissa est; adempta verò priuatis, quibus nullum est vindicandi ius datum. Contraria vindicationi est crudelitas, & nimia lenitas. Nam in omni animaduersione & castigatione cauendum est, ne vel maior pœna quàm culpa sit, vel bonis noceatur, dum parcitur malis.

Vim vi repellere licet defendẽdi, non lædendi aut vlciscẽdi, caussa.

Contraria vindicationi. Cic. lib. I. de Offic.

De gratia. CAP. XXIII.

GRATIA, quæ vulgò gratitudo dicitur, est, inquit Cicero, quæ in memoria & remuneratione officiorum & honorũ & amicitiarum obseruantiam teneat. Commodius fortaße definietur Gratia, virtus, in qua beneficij accepti memoria, & remunerandi voluntas continetur: propterea quòd hæc virtus in accipiendo magis quàm in dando versetur. Nam dare, liberalitatis est: accipere libenter, & referre velle, gratiæ proprium est. Illius est, dati beneficij obliuisci, nec vllam remunerationem sperare: huius verò, meminisse, & cùm datur opportunitas, etiam cum fœnore, si poßit, ac bene collocari beneficium intelligat, & quidem promptè velle reddere, & nihilominus perpetuam retinere beneficij memoriam. Vtrobique videndũ est, vt quod vel datur vel redditur, vtile sit et commodum

Gratia est grati animi fidelis memoria: seu, Voluntas referẽdæ gratiæ ac beneficij memor.

Cui & quid dandum.

dum ei cui datur vel redditur, & iustè partum, ne de alieno liberales & grati simus. Contrarium gratiæ vitium vulgò dicitur ingratitudo: quæ definiri potest, obliuio accepti beneficij: & vel coacta, vel nulla, vel (quod omnium peßimum est) mala relata gratia: quæ maxima iniustitia est; qua nihil omnibus odiosius esse potest.

Contraria gratiæ vitia.

De misericordia. CAP. XXIIII.

COMMODE *videtur his adiungenda misericordia, gratissima Deo virtus. Vt enim debetur amor, veritas & fides omnibus, pietas paucis, vindicatio mala inferentibus, gratia benemeritis: ita misericordia immeritò mala patientibus. Misericordiam autem hîc non ægritudinẽ voco, aut, vt Seneca, vitium animorum nimis miseriæ fauentium: sed virtutem, per quam animus miserijs & calamitatibus alterius mouetur ad subueniendum afflicto. Misericordia definitur à Cicerone, ægritudo ex alterius rebus aduersis: à Seneca in libris de Clementia, ægritudo animi, aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Sed hanc ille vitium esse probare conatur his verbis, Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem. Sed nos, vt dictum est, virtutem misericordiam intelligimus, ad quam Christus nos exhortatur exemplo patris cælestis, & suo, Luc. VI. quæ nullis vnquam laudibus satis extolli potest: & certè Sacris litteris nobis magnificè commendatur. Quis verò mortalium, Dei patris & Christi domini nostri infinitam misericordiam vel mente concipere, nedum verbis explicare*

Cur superioribus virtutibus addenda sit Misericordia.

Misericordia hoc loco virtus, non ægritudo intelligenda est.

Quid misericordia?

Misericordia est diuina virtus.

Beati misericordes.

poßit? Hæc virtus hominē ad beatitudinem prouehit. Christus enim beatos vocat misericordes, quòd hi misericordiam sint consecuturi, Matthæi V. IX. XII. *apud quem capite* XXV. *sex officia misericordiæ breuiter indicantur.*

Sex officia misericordiæ.

De liberalitate: & huic contrarijs vitijs, auaritia & effusione. CAP. XXV.

Liberalitas iustitiæ species.

LIBERALITATEM *Cicero in* I. *de Officijs libro, alteram iustitiæ speciem facit, quam eandem & beneficentiam & benignitatem appellat: quæ non incommodè videtur hoc loco superioribus iustitiæ partibus adijcienda. Quamuis enim hæc virtus in dando, non vt illa in reddendo quod debetur (id quod proprium esse iustitiæ videtur) posita sit: quia tamen sese ad alios, vt iustitia, diffundit, & hominum vtilitatem spectat; inter iustitiæ partes referre licebit. definiri potest liberalitas, benefica volūtas sine cuiusquam iniuria beneficio dignis gratificandi: seu, vt breuißimè definiatur, liberalis de aliquo benemerendi voluntas. Versatur hæc, vt Cicero ait, in vsu pecuniæ, quam honestè, atque vt oportet, animo liberali ac pio largiri, proprium est liberalitatis. Requiritur enim primū omnium libera dantis voluntas, ne opinione vtilitatis animus à beneficentia retrahatur. Dandum igitur est, quia scimus id gratum esse Deo, nullam expectantes remuneratione: Dandum autem prudenter, cùm res & locus postulabit, ei in quem bene collocatur beneficium, qui non ad perniciem vel suam vel aliorum sit abusurus, probo, beneuolo, benemerito, & vt quisq; coniunctißimus est, ratione cognationis, affinitatis, amicitiæ, ciuitatis, nationis, deniq; humanæ societatis. Hunc enim ordinem præscribit*

Cur ad iustitiam referenda liberalitas.

Quid liberalitas

Cur dandum sit.

Quomodo, quādo, quid, & quibus dandum.

præſcribit natura; vt poſt deum & patriam primi ſint coniuges, deinde liberi, parentes, cognati, affines, amici, ciues conterranei, homines alij. Cicero libro 1. de officijs ſeptem hos gradus conſtituit; 1. patriam & parentes: 2. liberos ac totam domum: 3. propinquos & affines: 4. amicos & familiares: 5. ciues: 6. qui ſunt eiuſdem nationis, gentis, & linguæ: 7. omnes homines. Et de noſtro dandum, non de alieno. nam liberalitas nocere nemini debet, prodeſſe autem beneficio dignis: & dandum pro dignitate cuiuſque, ac merito, & indigenti magis quàm diuiti: non quantum fortaſſe velis, ſed quantum poſsis; ne liberalitas in effuſionis vitium degeneret, & tu deinde incipias egere, atque amicis tuis eſſe moleſtus: & voluptatem, quæ virtutis comes eſt, amittas, contraq; dolorem vitioſitatis comitem accipias. Et quamuis diuites liberalitatis munus exequi poſsint facilius, tenuiores tamē etiam liberales eſſe poſſunt: quorum benefica magis voluntas, quàm ipſum beneficium ſpectari debet. Cicero lib. 11. de Officijs duo liberalitatis genera conſtituit: vnum, quo quis egenti pecunia ſubuenit: alterum quo opera aut cōſilio iuuat, quæ virtus propriè beneficētia dici poteſt: & certè liberalitati coniunctiſsima eſt: cui contraria eſt maleficentia, & beneficentiæ omiſsio. nam virtus hæc poſita eſt inter malam & nullam operam, ſeu inter officiendi ac malefaciendi, & omittendi ſtudium: vt rectè definiatur beneficētia, mediocritas in tribuenda alijs opera. Huc referatur & hoſpitalitas, quæ eſt benignitas in ſponte recipiendis hoſpitibus. Cui contraria eſt inhoſpitalitas, itémque inanis oſtentatio hoſpitalitatis. Liberalitati contraria ſunt vitia duo,

Gradus cõiunctionis.

Tenuiores etiã poſſunt eſſe liberales.

Beneficentia.

Hoſpitalitas.

Liberalitati cõtraria vitia duo.

 auaritia

auaritia atque illiberalitas, & effusio atq; luxuria: quarum illa defectus liberalitatis est, hæc verò exuperantia: inter quæ vitia liberalitas media est.

Quid auaritia.

Auaritia definitur nimium pecuniarum studium, quibus ad suum commodum anxiè congestis auari nec sibi nec alijs prosunt: quæ rectè appellatur in sacris litteris omnium malorum radix.

Auaritia radix omnium malorũ

ex qua furta, rapinæ, latrocinia, fraudes, proditiones, dißidia, bella fruticantur: et, quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Inexplebilis est illa pecuniæ cupiditas, & dirus hydrops: cui, quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Nam crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Miserrima est omnino hæc seruitus, & abiectißima, semper anxia, semper timida, nunquam tranquilla, nunquam suo contenta.

Auaritiæ contraria effusio.

Auaritiæ vitio contraria est effusio, quam prodigalitatem appellant: itemq; beneficentia in quosuis, negligens suorum: quod ipsum quoque vitium est, & liberalitati repugnat. vt enim auarus in accipiendo & retinendo nimius est: ita contrà prodigus in largiendo modum transit.

Quid effusio?

Definiri igitur effusio potest, immoderata, ac nullam iustam ob caussam facta largitio. Est hæc quidem vitiosa, sed faciliùs ad liberalitatem reuocari potest, quàm auaritia: quòd illa soleat alijs prodesse, hæc nulli, ac ne ipsi quidem poßidenti. Huic sæpe iuuenilis ætas obnoxia est, illi senilis.

Parsimonia quoque mediocritas est inter effusionem & sordes.

Parsimonia item, vt liberalitas, ijsdem est interiecta vitijs, effusioni & sordibus. Hinc parcus seu frugalis, nec prodigus nec tenax dicitur.

Quid parsimonia.

Parsimonia est diligens eorum quæ parta sunt, custodia, ac moderatio sumptuum. Ex quo dictum est, Magnum vectigal parsimonia.

De

De magnificentia. CAP. XXVI.

LIBERALITATI *subijcienda videtur magnificentia: quòd nihil aliud sit, quàm liberalitas quædam amplior. quæ definitur à Pontano mediocritas in sumptibus & quidem magnis cum delectu faciendis: & à Cicerone, rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitatio atque administratio: hinc magnificus, splendidus, & qui magna facit. Hæc virtus non est pauperum, qui magna & admiranda præstare non possunt: sed diuitum, velut regum & principum: quibus tamen cauendum est, ne inanis gloriæ cupiditate magis quàm virtute impulsi, nec Dei voluntatem, nec hominum vtilitatem præcipuè respicientes, extra modum sumptu & magnificentia prodeant. nam & huic virtuti vitia duo sunt. vnum, quod* μικροπρέπεια *indecora illiberalitas dicitur, angusti animi opera, ac sordida magnificentiæ ostẽtatio, quod auaritiæ cognatum est: alterum,* βαναυσία*, id est, insolens atque immoderata & intempestiua magnificentia ac luxus, quæ respondet effusioni. Ad hanc virtutem Pontanus referendum etiam putat moderatum rei familiaris Splendorem: & magnificentiam quidem versari in præclaris ædificijs, præsertim publicis, in spectaculis, in muneribus: Splendorem verò in priuatæ supellectilis ornatu, in rerum diuersarum apparatu: eumq; definiri posse, mediocritatem inter luxum & sordes: vt ea sit supellex, quæ splendidum virum deceat: ea sint ornamenta, is apparatus, is cultus atq; ornatus corporis, vt splendidus verè dici posit, non luxuriosus, neq; sordidus, pro fortuna & dignitate, pro loco & tempo-*

Magnificentia diuitum est, non pauperum.

Cõtraria magnificentiæ vitia.

Splendor.

re honestè vestitus. &c. Seruetur etiam splendor in domus laxitate, in conuiuiorum epulis: ne vel nimio luxu, vel parum splendida mensa conuiuator modum transeat.

De amicitia. CAP. XXVII.

INTER *iustitiæ partes amicitia quoq; numeranda est: sine qua nulla hominum societas conseruari potest: de qua cùm Aristoteles, & post eum Cicero copiosè disseruerint; nos hîc ea breuiter, quæ maximè necessaria videbuntur, perstringemus. Est igitur, vt ait Cicero libro primo de Legibus, omnis amicitiæ vis in voluntatum, studiorum, sententiarumq; consensione. & in Lælio:* Nihil aliud est, *inquit, amicitia, nisi omnium diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & caritate summa consensio: quam ait virtutum adiutricem à natura datam, non vitiorum comitem: eamq; ex amore nominatam, & ab ipsa natura ortam: vt naturalem intelligamus amorem, quo homines inter sese coniunguntur. Et quoniam, (vt etiam ex litteris sacris, quibus naturæ lex in hac re comprobata est, cognouimus) homo homini beneuolentiam & amorem debet, cùm & reliquæ animantes in suo quæque genere amicitiam colere, aut certè beneuolentiam conseruare videantur: dubitari non potest, quin amicitia, quam virtus cōciliauit mutuæ beneuolentiæ conseruatricem, ad iustitiam sit referenda, quæ & ad vsum vitæ maximè necessaria est, & ipsam continet rempub. Quid ab amicitia distet beneuolentia, docet Aristoteles. beneuolentia posse nos etiam cum ijs esse coniunctos, quos ignoramus: eamq; occultam esse posse, amicitiam non posse: principium autē &*

Arist. lib. 8. et 9. Ethic. ad Nicom.

Quid amicitia?

Vnde amicitia.

Cur ad iustitiam referenda sit amicitia.

Inter amicitiam & beneuolētiam quid intersit. Arist. lib. 8. cap. 2. & lib. 9. cap. 5.

& fontem amicitiæ esse beneuolentiam. Ex cuius sententia sic definiri potest amicitia, vt sit aperta ac mutua proborum hominum inter se beneuolentia, consilio suscepta. Amicitiæ definitio. *Amicitia duplex est: vna perfecta, vera & sincera, atque ex virtute profecta, quæ est inter bonos: siue sanguinis cõiunctione, siue voluntatum ac studiorum consensione conciliatos: altera imperfecta, ficta & vulgaris. quæ duplex est: aut enim vtilitate conciliatur, aut voluptate.* Amicitiæ diuisio *Finis igitur amicitiæ veræ est, honestum: fictæ vtile vel iucundum.* Expetuntur honesta, vtilia, iucunda. *Voluptas pueros & adolescentes coniungit, vtilitas mercatores & his similes: at virtus bonos viros, qui verè sunt amici, & permanent etiam post mortem, illi verò ad tempus amant. Vera igitur amicitia quoniam ex virtute nascitur, inter improbos esse non potest: velut inter fures, inter latrones, prædones, proditores, coniuratos; quamuis interdum arctißimo vinculo cõiuncti videantur.* Inter quos vera sit amicitia. *nec satis etiam firma est inter eos, qui nec moribus, nec studio, nec volũtate, nec opinionibus, nec opibus (quanquam hæ non semper obstant amicitiæ, sicuti nec ætas) nec dignitate sunt pares. Inter principes et eorum familiares omnem ferè amicitiam extinguit assentatio quorundam aulicorum, omnia Principum & dicta & facta quamuis ridicula approbantium, dum quæstum, honorem & fauorem captant.* Assentatio verã amicitiam obscurat. *Firmior ergo amicitia, magisq́ue sincera est inter pares, animorum consensione coniunctos, idem & volentes & nolentes, quos idem quoque studium delectat. Sed hæc amicitia inter plures esse non potest: paucorum est arctißima illa neceßitudo: qualem fuisse legimus inter eos, quorum vix quatuor aut quinque paria numerantur:* Vera amicitia an inter plures esse possit.

rantur : & fortasse difficile esset inuenire plura. quos certè constat fuisse coniunctißimos, de quibus verè dici poßit, Amicus alter idem, quorum vnus duorum sit animus. Quamuis autē boni viri sæpe multos habeant amicos ; & his bene velint, à quibus ipsi quoq; amantur ex animo : tamen summam illam animorum ac voluntatum studiorumq; consensionem cum vno tantùm atque altero, aut certè cum perpaucis communicatam habent. Et quoniam ex amore amicitia oritur, gradus autem amoris sunt diuersi ; plures etiam amicitiæ gradus constituendi sunt. de quibus capite xxv. dictum est. Sed omnes omnium amicitias, ipsorum etiam parentum & liberorū, quæ maxima esse debet, longè interdum vera illa amicitia superat, quæ perrara est . qualis fuit amor inter illa pauca & toties decantata verorum amicorum paria, velut inter Pyladem & Orestem, Damonem & Pythiam : de quibus vide Valerium Maximum lib. IIII. *capite* VII. *Hæc autem vera amicitia non subitò fit perfecta, sed suos habet progressus : donec longo tandem amoris intimo pectore insidentis vsu, & summa familiaritate atque amabili consuetudine confirmetur. Quare deligendum esse aiunt, quem velis diligere : admonentes eo dicto, ne temerè sine delectu ac facilè quemuis in amicitiam recipiamus, quem eadem postea temeritate leui de caussa relinquamus : ne magis impetu quodam amoris, quàm consilio, adducti ad amicitiam fuisse videamur. Id vitium vt euitetur ; ad ineundam amicitiam tardi simus, ad retinendam constantes. Cauenda igitur ea sunt omnia, quæ solent amicitias labefactare : vt cōtentiones, acerba iurgia, contēptus, morositas,*

Pauca amicorū paria.

Gradus societatis.

Non subitò fit amicitia perfecta.

Non temere contrahenda amicitia.

Quæ labefaciunt amicitias.

morositas, ira, inuidia, æmulatio, &c. Sed admonere citra acerbitatem, & admoneri, proprium est amicitiæ. Neque enim putandum est, eos vsquam inter homines reperiri amicos, qui, quamuis eadem plerumque sit & voluntatum & studiorum consensio, non interdum admonendi videantur, si quid peccauerint; sitq; his etiam negandum, si quid ab amicis petant, quod honestè ac piè præstari non poßit. Honesta enim ab amicis petenda sunt, & amicorum caussa honesta facienda. Potius autem quàm res turpes rogati faciamus, amicitiam, quæ iam desinit esse vera, paulatim vsus remißione leuari patiemur, atque euanescere. Nam quæ subitò abrumpitur, nunquam vera fuisse videtur. Sed hæc tamen ipsa disiunctio, quantum fieri potest, cauenda est. nec enim ita amandum est, tanquam aliquando sit osurus. Veram amicitiam intimus amor commendat, is quem sacræ litteræ comprobant: quibus iubemur non minùs proximum, quàm nos ipsos amare. Sit igitur æqua vtriusque animi beneuolentia. nec enim requirendum est, vt alter plus alterum quàm seipsum amet. Ac de amicitia quidem hactenus. Huic repugnat inimicitia, grauißima generis humani pestis, & quæ beluis deteriores homines reddat, omniq; humanitate exuat. Homo enim homini ob naturam communem, & eandem corporis erecti figuram, et rationē, atq; orationem charus esse debet, cùm bestias eiusdem generis inter se videat esse coniunctas. Vt autē amicitia mites & gratos, ita inimicitia feros & odiosos homines facit: vtq; illa plurimùm delectat animos, ita hæc plurimùm & sibi & alijs est molesta, ac plurimorum caussa malorum. hinc cædes,

Admonere & admoneri, propriū est amicitiæ.

Honesta ab amicis petēda sunt, & amicorum caussa honesta facienda.

Non ita amandum, tanquam aliquando sis osurus.

Amicitiæ contraria.

Inimicitia est multorum malorum caussa.

cædes, hinc parricidia, hinc omnis crudelitas nascitur. quem enim quis odit, extinctum cupit, & sese ipse miser vlciscendi cupiditate & nocendi studio grauiter affligit, occultum quatiente animo tortore flagellum, vt Iuuenalis ait: cùm litteris sacris proditum sit, homicidam esse, quisquis fratrem suum oderit. Quamobrem omnis inimicitia fugienda est: cauendúmque diligenter, ne cui demus odij caussam: & si data sit, omnibus modis efficiendum, vt reconcilietur nobis, qui fuerat alienatus. Quòd si quem fortè, qui videatur iniuriam nobis fecisse, oderimus: tamen meminisse debemus, nos esse Christianos, vt ignoscamus, iramq́ue & odium deponamus, eandem à Deo veniæ facilitatē expectantes, quam toties sumus experti. Nulla autem grauior est inimicitia, quàm bellum: nulla maior animorum alienatio atque disiunctio, nulla perniciosior, nulla immanior, & qua plures acerbioribus odijs in mutuam perniciem ruant, & ita furenter interdum incitentur, vt non ciues modò, sed ipsi etiam inter se fratres & propinqui committantur, de vita decertantes, ignari cognationis, furore communi inflammati, omnemq́ue iam humanitatem exuentes, bestiarum feritatem induant. Et quamuis ipsum per se bellum nec bonum propriè, nec malum dici debeat, cùm iustè possit administrari, sitq́ue necessariò interdum gerendum, præsertim si iustis de caussis ita suscipiatur, vt sit iustitiæ satelles, referaturq́ue ad eam partem quæ vindicatio dicitur; tamen cùm vtriusque hostis æquè iustum bellum esse nequeat; non videtur vllum geri posse bellum, cui non altera ex parte coniuncta sit iniustitia. Quamobrem non temere suscipiendū est Principibus, quibus

Homicida est, quisquis proximum suum oderit.

Offensæ remittendæ sunt.

De bello.

Bellum per se nec bonum nec malum.

Non temerè bellū suscipiendū.

quibus belli gerendi ius est. nec nisi iusta ac necessaria de caussa: veluti si res iniquè nobis ablatæ repetantur: si iniuria vindicanda, aut vis arcenda sit; prius indicatur: idq; ad eum finem referatur, vt nihil aliud bello quàm pax quæsita fuisse videatur. cauendumq; maximè, quantum fieri potest, ne sæuiatur in innocentes, & imbellem turbam ac supplices: ne ferro & igni vastentur omnia: ne plus damni detur amicis quàm hostibus: ne sponte ac cupidè bellum suscipiatur, quod sine crudelitate geri non potest. Sunt et alia contraria amicitiæ vitia: vt morositas, & assentatio, corruptela amicitiæ, liberali ingenio indigna, damnosa & periculosa parum cautis & gloriosis & simplicibus; quia occulta inimicitia est, quæ blanda specie lædit, seruiliter præsentem laudans, & absentem iniquè rodens, atque irridens: quam Terentius eleganter & festiuè depingit in Eunucho Actus II. *scena* II. *Vtrique æquè misera est assentatio, & ei qui omnia ad voluptatem alterius loquitur, & ei qui turpem hanc assentatoris blanditiam admittit: nisi quòd ille vilissimus seruus est, hic stupidus, qui se ludibrio esse non intelligat. Ac de iustitia & partibus eius dictum satis.*

Quibus de caussis & quę ad finę bellum gerendū sit.

Quæ in bello cauenda.

Alia contraria amicitiæ vitia, vt morositas & assentatio.

De iniustitia. CAP. XXVIII.

IVSTITIÆ *contraria est iniustitia, quæ singulis quidem iustitiæ partibus addita, nunc paulò copiosius explicabitur. Vt iustitia suum cuique tribuit; ita sibi iniustitia, quod alijs debetur, iniquè sumit. atque vt suprà iustitiam distribuimus, ita licebit & iniustitiam partiri: Primùm in communem & priuatam, & hanc in distribuentem & commutantem: deinde, vt iustitiæ partes enumerauimus, religionem,*

Iniustitia communis & priuata.

pietatem, & reliquas: ita partes iniustitiæ repetantur, superstitio, impietas, & ceteræ, quas breuiter perstrinximus: nunc tantùm iniustitiæ communis & priuatæ partes reliquas indicabimus. Communis iniustitia duas formas complectitur: vnam, quæ legibus: alteram, quæ æquitati repugnat. Leges violantur, cùm vel auaritia, vel hominum odio, vel aliam ob caussam bonæ leges & instituta mutantur, aut abrogantur, aut falsis interpretationibus iniustè contorquentur, & labefactantur. Violatur æquitas, cùm legis verba numerantur, & vrgentur malitiosè, sed mens & ipsa anima legis, æquitas negligitur; & locum obtinet prouerbium, Summum ius summa iniuria: vt si Iudices, vel Iurisconsulti muneribus corrupti sint, aut affectibus amoris odijúe perturbati. Tractantur hæc etiam à Rhetoribus sub capite de Statu scripti & voluntatis. Priuatæ iustitiæ partes duæ sunt: quibus item duæ possent opponi, iniustè distribuens, & iniustè commutans. Iniquè distribuens parcit malis, nec defendit bonos: illos euehit, hos deprimit: assentatores & improbos apertis & bonis præfert: pluris nobilitatem & opes, quàm virtutem & sapientiam facit. Iniquè commutans non reddit quod debetur, fraudat eos cum quibus commercium est in emendo, vendendo, alijsq; rebus contrahendis, maximè in deposito & societate: fingit possessionum titulos: mala fide acquisita, vsu longo capit: communia & publica diminuere conatur, & ex his aliquid sibi adijcere: denique suum cuique non relinquit. Omnium autem harum iniustitiæ partium mater est iniuria, quæ fit vel reipub. vel singulis hominibus, aut leges violando,

Iniustitia communis leges & æquitatem violat.

Quomodo leges violentur.

Quomodo æquitas violetur.

Priuata iustitia iniustè distribuit & commutat.

Iniquè distribuens.

Iniquè commutans.

Omnis iniustitiæ mater est iniuria.

aut

aut iniquè siue distribuendo siue commutando.

De fortitudine. CAP. XXIX.

DICTVM *est de prudentia & iustitia: sequitur vt de fortitudine sit dicendum. Definiri fortitudo potest, habitus, seu animi affectio, quæ considerata pericula suscipit, & labores, & quæcunque accidunt incommoda perfert, timorem iramq́ꝫ reprimens. Incommoda autem sunt vel corporis, vt morbus, egestas, labor: vel animi, vt ignominia, iniuria, contumelia. A Cicerone definitur, animi affectio in adeundo periculo, & in labore ac dolore patiens. cuius munera duo maxima vult esse, mortis dolorisq́ꝫ contemptionem: quòd fortitudo omnis aut in dolore aut in labore, aut in periculo rebusq́ꝫ formidolosis subeundis & repellendis spectetur. Stoici definiunt fortitudinem, virtutem propugnantem pro æquitate. Chrysippus, affectionem animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parentem sine timore. Nasci fortitudo videtur partim à voluntate, partim ab irascentis animi vi, quòd huius nonnullam commotionem fortitudinis actio requirat: quæ tamē ipsa voluntaria est; sed imperare voluntas, parêre verò impetus ille voluntati atque consilio debet. Versatur autem fortitudo in cohibendis rebus formidolosis, ac timorem ob futuri mali alicuius, atq́ꝫ periculi expectationē incutientibus, et in ira compescenda tanquam in materia qua exercetur siue bellicis in rebus atq́ꝫ vrbanis, siue domesticis difficultatibus; vt exoptatum aliquando finem summum illud bonum consequatur. Virtus hæc item vt ceteræ, mediocritas est inter nimium & parum, nempe inter timiditatem & confidentiam. quæ vitia quomodo vitari poßint, ostendit Horatius hisce carminibus:*

Quid fortitudo.

Confide.) Docet enim, quid, vbi, quando, quamobrem sit metuendum vel audendum, nam qui nihil timet, is aut demés est, aut stupidus.

Variæ definitiones fortitudinis

Vnde fortitudo nascatur.

Materia fortitudinis.

Finis fortitudinis est summum bonum.

Fortitudo mediocritas est inter timiditatem & cōfidentiam

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Duplex fortitudinis officium.

Duplex est fortitudinis officium, subire & perferre pericula & res aduersas eo animo, vt id placeat Deo, eiusq́ præceptis pareatur: cuius caussa fieri debent omnia. Ac subire quidem & perferre non solùm animosè & fortiter, verumetiam prudenter, viri fortis est: neq; enim inconsideratè ac temere, nulloq́; consilio quicquam suscipere debet, ne magis impetu quàm recta ratione moueri videatur. Veræ ac perfectæ aliisq́; virtutibus exornatæ fortitudini, Aristoteles alias quinque non perfectas formas, tamen vt cognatas addidit libro III. *ad Nicomachum: primam, ciuium pro patria pugnantium: secundam, militum qui ex rei militaris disciplina pericula adeunt: tertiam, experientiæ confidentium: quartam eorum qui vincendi spe nituntur: quintam, ex fortuna pendentium, nec satis pericula considerantium, quos ignorantia fortes reddit. Non minus autem res aduersas æquo animo atq; constanti perferre, tolerare iniuriam, miseriam, ærumnam, omnia fortunæ et corporis incommoda: graues animorum impetus, vt iram, metum, ægritudinẽ, amorem, voluptatem, ferociam, superbiam, cohibere fortitudinis est: quàm subire pericula, mortem contemnere, atque adeò (si ita placere Deo constiterit) non illibenter oppetere. Et quoniam fortitudo vel in susceptione periculorum, vel in doloris ac malorum perpessione versatur: huic virtuti quatuor formæ subiiciuntur, Fidentia & magnanimitas, quæ ad susceptionem:*

Summi boni, id est, Dei caussa fieri debent omnia.

Prudentia fortitudini necessaria.

Quinq; fortitudinis species non perfectæ, quæ venientibus malis alia quàm honesti caussa, nec ita, vt ratio mouet, obsistunt.

Fortitudo vel in susceptione periculorum, vel in perpessione doloris versatur: hinc quatuor fortitudinis species.

ceptionem: Patientia & perseuerentia, quæ ad perpeßionem referuntur: priores duæ ad primum quasi fortitudinis motum, posteriores ad malorum tolerantiam atque firmitatem & constantiam pertinent. Ex his omnibus perfecta fortitudo constat.

De fidentia & magnanimitate.

CAP. XXX.

Quid Fidentia?

FIDENTIA, *inquit Cicero, est firma animi confisio: seu, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ, certa cum spe, collocauit. Huic audacia quidem cognata videtur, et tamen vitium est: cùm non consilio et iudicio, vt fortitudo, cui perpetua comes est prudentia, sed impetu ac temeritate feratur: non satis expendens priusquam adeat pericula, poßitne superare: & vt poßit, honestúmne sit ea subire. Sed fidentia non nisi diligenter antè considerata pericula fortiter, magnáque fiducia suscipit. non enim qui minus audent, sed qui moderatam animi vim, quam ratio regat, ac virtuti congruentem faciat, adhibent, fortes sunt iudicandi. Fidentiæ contraria est Diffidentia, deiecta mentis consternatio; eadem quæ est desperatio, quam suprà sub capite de Desiderio et spe, breuiter perstrinximus. Magnanimitas est excelsi atque inuicti animi magnitudo, & robur atque firmitas, ad res magnas gerendas. Hæc fidentiam fulcit, adiutrixq́; cognatam confirmat. Excelsum intellige animũ propter virtutum magnitudinẽ magnis honoribus dignum, apertum ac simplicem, qui nihil simulatum habet: non autem inflatum, non arrogantem, sed grauem, modestum, et qui superbiam deprimat, verè magnum, iniuriarũ immemorem, clementem,*

Audacia quid à Fidẽtia differat.

Contraria Fidentiæ Diffidentia.

Quid Magnanimitas.

Quid animus excelsus?

mentem, æterna ſpectantem, humana deſpicientem, ad dandum quàm ad accipiendum paratiorem: veræ laudis quàm vtilitatis ſtudioſiorem. Nam virtus hæc maximè ſpectatur et in rerum magnarum, quæ cupidum vulgus admiratur, contemptione: & in refrenandis perturbationibus; vt inuicto animo reſiſtatur omni ambitioni, auaritiæ, libidini; vt aduerſa omnia conſtanter perferantur. Cicero de Officijs libro primo *tradit, magnitudinis animi duas eſſe partes: quarum vna in fortuna proſpera cernitur, altera in aduerſa: quòd magnanimum neque res aduerſæ frangere, neq; ſecundæ inſolentem facere poßint.* Contraria *magnanimitati vitia duo ſunt,* χαυνότης, *elatio nimia, ſeu inflatus ac tumens animus: &* μικροψυχία, *nimia animi demißio atq; abiectio. Priori vitio continetur, inſolenter ac ineptè ſeſe efferens iactatio, ſtultèq; turgeſcens animus: qualis ille Thraſonis apud Terentium, hominis vani & inſulſi, nimioq; ſui amore cæci, quo nihil magis ridiculum fingi poteſt, quem nemo bonus ac modeſtus ferre poßit.* Hoc *genus hominũ omnibus, præterquàm paraſitis, eſt odioſum.* Huic *vitio contrarium eſt illud alterum, quod animi abiectio dicitur, vulgo Puſillanimitas, id eſt, turpis & indecora animi demißio, laborem inſtantem fugientis, & magnis ac præclaris in rebus turpiter languentis. qualis fuit hominum effeminatorum: vt Sardanapali, qui ne reſiſtens quidem, pulſus regno, præſumpta deſperatione ſibi manus attulit: vt* Heliogabali, *vt aliorum qui voluptatibus eneruati vitam ignauam turpemq; vixerunt. Superioribus adijciatur, bonæ exiſtimationis ſtudium. cuius item duo vitia ſunt: vnum, ambitio: alterum,*

Magnitudinis animi duas partes Cicero poſuit.

Contraria Magnanimitati vitia duo.

Nimia animi elatio.

Animi abiectio.

Bonæ exiſtimationis ſtudium.

rum, famæ existimationisq; desficientia. Sed an moderatum honoris studium, quod est inter ambitionem & honoris contemptum, vt Aristoteles arbitratur, habenda sit virtus, cùm præsertim ab elatiore animo profectum videatur, affirmare non audeo. Honoris studium.

De patientia, & perseuerantia. CAP. XXXI.

PATIENTIAM *Cicero definit, rerum arduarum ac difficilium voluntariam ac diuturnam honestatis aut vtilitatis caussa perpessionem: hoc est, firmam et constantem rerum humanarum tolerantiam, qua quidquid aduersi nobis acciderit, æquo animo perferimus. Voluntariam ille vocat, quòd hæc virtus, vt & magnanimitas, in voluntate posita sit, quam irascens illa animi facultas adiuuat. Quod additur ab illo, Honestatis caussa: finem huius virtutis, qui est aliarum etiam omnium, ostendit. Nam si labores non ob virtutē, sed vel odij, vel opum, vel honorum caussa perferantur, eam ille Duritiem immanem appellat, quæ patientiam imitatur. Nobis verò semper ille finis est constituendus, vt actio nostra Deo placeat, cui grata virtus est. Officium patientiæ duplex est: vnum, in perferendis iniurijs acceptis: alterum, in omnibus fortunæ casibus æquo animo sustinendis. Vincit, qui patitur iniuriam: quòd & seipse & aduersarium superet, cùm affectum reprimit: vincitur verò, qui facit, quoniam affectibus succumbit, & ab ira atque cupiditate superatur. ille iustus, hic iniustus est. Patientis igitur est, & iniuriam negligendo superare, eiúsque vindictam non sibi sumere, sed Deo (cuius est vlcisci peccata) committere: & omnem fortunam æquo animo ferre, tolerare paupertatem, exilium, orbitatem,*

Quid patientia. Cur voluntaria perpessio dicatur. Finis virtutum. Finis falsus. Finis verus omnium virtutum. Officium patientiæ. Cur vincat qui patitur: & vincatur, qui facit iniuriam. Patientis officia.

luctum, contumeliam, contemptum, seruitutem, morbos graues, cæcitatem, & si quid etiam miserius est: nunquam desperare, nunquam calamitatibus frangi cùm enim miserijs & ærumnis plena sit vita humana, quis non interdũ (vt impij quidam, parumq; fortes fecerunt) abrumpere eam sibi mallet, ac semel omnibus defungi malis, quàm semper ærumnosam trahere vitam; nisi patientiæ robore munitus, ad omnia perferenda paratum atq; inuictum animum fortiter opponeret, & quancunque vitam duce virtute bene degendam esse duceret? Falso *quidam fortes esse putauerunt eos, qui mortem sibi ipsi rebus desperatis cõsciscerent, fugientes vel inopiam, vel ignominiam, vel captiuitatem, vel seruitutem, vel amorem non ferentes, vel aliud quoduis malum euitantes: quos Aristoteles rectiùs iudicauit esse molles & effeminatos: cùm sit constantis & fortis viri, quamcunque fortunam æquo animo perferre: timidi verò & ignaui, diffidere & frangi laboribus, ac turpiter succumbere. Patientiæ contrarium vitium impatientia dici potest, quæ est mollities animi, id est, honesti laboris & doloris tolerandi fuga: cuius naturam non difficile est ex ijs, quæ iam dicta sunt, intelligere. Sunt impatientes alij qui labores, alij qui dolores metuunt, atque impatibiles putant, quos patientia tolerandos esse docet. Illi succumbunt laboribus, hi perturbationibus & curis anguntur, et ægrè iniuriam, ac molestè ferunt. Sunt etiam qui fortunã prosperam non satis moderatè ferre possunt, quorum animi rerum secundarum insolentia nimis efferuntur; æquè atque illi vituperandi: quòd non minus turpe sit animo deijci, quàm inaniter exultare.*

Patientiæ beneficio miseriæ omnes & ærumnæ superantur.

Non esse fortes qui sibi mortem consciscunt.

Contrarium patientiæ vitiũ, mollities animi.

Qui sint impatientes?

Qui prosperam fortunam ferre non possint.

tare. Perſeuerentia definitur à Cicerone, ſtabilis & perpetua in ratione bene conſiderata permanſio. Hæc patientiæ fida comes eſt, & adiutrix in rebus aduerſis perferendis, & in ſecundis æquabilitate moderandis, omnibusq́; animi affectionibus comprimendis, ac rationis iudicio ſubijciendis. Nam fortis animus, vt ille ait, ſine conſtantia & æquabilitate, nihil eſt. Perſeuerantiæ contrariũ vitium eſt inconſtãtia, ſeu leuitas, & inſtabilis rerum humanarum gubernatio: quæ vel propter mollitiem animi temerè difficultatibus cedit, nec perferre dolores poteſt: vel propter pertinaciam in ſententia, quam ratio mutare iubet, arroganter & contumaciter permanet.

Perſeuerantia.

Comes & adiutrix patientiæ.

Contrarium perſeuerantiæ vitium.

De vitijs inter quæ fortitudo eſt interiecta.

CAP. XXXII.

FORTITVDO *media eſt inter duo vitia, audaciam et timiditatem. Audacia eſt inconſiderata periculorum aggreſsio, ſeu inconſulta confidentia, qua quis non exploratis viribus, cæco impetu periculum aggreditur, vel ignoratione difficultatis, vel animi elatione & gloriæ cupiditate, vel deſperatione, vel etiam ſtupiditate ac vecordia mentem perturbante. Vitium hoc à fortitudine longè eſt alienum, quòd rationem & conſilium non adhibeat. Relatum eſt hoc etiam ſuprà inter affectus: quòd impetum animi ad inconſultè atq; audacter agendum excitet. Huic vitio contrarium vitium eſt timiditas, qua ſine cauſſa quis terrore percellitur, & quouis ſtrepitu terretur, eaq́; timet quæ pro virtute fortiter obeunda ſunt, ignauus, mollis, ac laboris honeſti fugiens: qui dum nimium ſuæ vitæ metuit, turpitudinem & dedecus, quod maximè fugiendum*

Quid Audacia?

Quid Timiditas?

D. Hierony. contra Io.

Fortitudo langueſcit otio.

Differunt affectus & habitus.

est, non timet. De vtroque vitio disputatum est aliter in explicatione affectuum, atque hic vbi non affectus, sed habitus vitiosus intelligendus est fortitudini contrarius.

De temperantia. CAP. XXXIII.

Quid Temperantia?

TEMPERANTIA *virtus est, quæ voluptates rationis imperio subijcit: ac modum rebus omnibus adhibet. Ea definitur à Cicerone, rationis in libidinem & in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Dicitur & moderatio cupiditatum, rationi obediens: & alibi, moderatrix omnium commotionum. Ea in prætermittendis voluptatibus cernitur, vt idem cum Platone & Aristotele sentit. Græcè σωφροσύνη, quàm noster & temperantiam & moderationem vocat, atque frugalitatem. Versatur enim in refrenãdis voluptatibus inhonestis, & immoderatis, ac libidinibus, tanquam in materia, quam tractat.*

Dicta est σωφροσύνη, quòd sedatis animi commotionibus & rationi subiectis prudentiam conseruet, vt sit purus animus in corpore puro.

Diuisio voluptatum.

Et quoniam voluptates aliæ sunt naturales, omniumq́; animantium communes: aliæ opinabiles: & vtraq; vel animi, vel corporis: quarum aliæ bonæ sunt, quæ bonum ad finem referuntur: aliæ malæ, quæ ad malum: bonis & honestis hæc virtus vtitur: contrarijs abstinet: omnes verò appetitiones rationis iudicio moderatur: quod his verbis confirmat Seneca: Temperantia voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit. Ex quibus verbis intelligendum est, hanc virtutem esse cum prudentia coniunctißimam. Cùm igitur in moderandis cupiditatibus temperantia versetur, primum eius officium est, videre quid naturæ neceßitas ad vitam commodè degendam postulet: vt huic satisfiat, quæ paucis

Quibus voluptatibus temperantia vtatur.

Temperantia prudentiam requirit.

Temperantiæ officia.

contenta

contenta est, quo nimis immoderatus rerum naturalium vsus vitetur, & intra naturæ modum cohibeatur. Alterum est, vt vbi iam corporis voluptatibus frenos iniecerit, moderetur etiam animi impetus rationi obluctantes, arrogantiam deprimat, seipsum noscat, libidini fortiter obsistat, & paullatim rationis imperio subijcere conetur. Temperantiæ tres partes à Cicerone subijciuntur: Continentia, clementia, & modestia. quarum prima, cupiditatem ac voluptatem refrenat: altera, odium remittit: tertia pudorem honestum conseruat, & verecundiam, sine qua nihil rectum haberi potest.

Hinc Plethon temperantiam defini, habitum animi contentum paucissimis, quæ ad vitam degendam requiruntur.

Temperantiæ tres species Ciceroni.

De continentia & abstinentia.

CAP. XXXIIII.

INTER *continẽtiam & abstinentiam id interesse propriè videtur, quòd continentia moderatur affectus, & in omni victu cultuq́; corporis modum tenet, ac præcipuè in prætermittendis voluptatibus cernitur, vt ait Cicero: cui contraria est incontinentia. Abstinentia, manus ab alienis continet, cui rapacitas opponitur. hæc in viro innocente est, illa in temperante. Definitur autem ab eodem:* Innocentia, *affectio talis, animi, quæ noceat nemini. Continentia virtus, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Contraria est cupiditati, voluptati, libidini. Huius enim munus est, omnes appetitiones moderari, libidinem, luxum, ebriositatem, liguritionem, sensusq́; omnes & voluptates rationi subijcere. hæc virtus non modò laudabiles ac dominos cupiditatum reddit, verumetiam sanos & alacres, atque ad res præclaras efficiendas aptos: at contrà, ex intemperantia multa mor-*

Quid inter continentiam & abstinentiam intersit.

Quid Abstinentia?

Quid innocẽtia?

Quid continẽtia

Laus continentiæ.

Vituperatio incontinentiæ.

borum genera naſcuntur, ex nimio cibo ac potu onuſtus venter, animum quoque prægrauat, ac rationi tenebras offundit. Sed ille tamen finis omnibus ſemper eſſe debet propoſitus, vt ideo ſe contineant, quia ita Deo, cui ſeruiendum eſt, placere ſciant, non quia id valetudini proſit. nam ſi valetudinis tantùm, vel commoditatis cauſſa quis incontinentiam fugiat, laudem non meretur. Ad continentiam referantur illæ virtutes omnes, quocunque vocentur nomine, quæ moderantur voluptates, veſtitum, victum, cibum, potum: quæ caſtos, moderatos, ſobrios reddunt: quæ fœdas illas refrenant peſtes, luxuriam, libidinem, liguritionē, vinolentiam, & ſimiles: quibus voluptarij, libidinoſi, molles, impudici, effeminati, helluones, ebrioſi homines, & pecudibus deteriores efficiuntur. Per continentiam ad laudem temperantiæ peruenitur. eſt illa quidem incohoata potius quàm abſoluta virtus, vt Ariſtoteli placet: ſed ipſius temperantiæ perfectiſſimæ virtutis officio, quod in cupiditatibus refrenandis ac rationis imperio ſubijciendis cernitur, maximè neceſſaria. quā ille videtur à temperantia ita diſtinguere, vt in categoria qualitatis diatheſin ab habitu ſeparauit. Quod ipſum Cælius Calcagninus in Diſquiſitionibus annotauit, breuiter oſtendens, inter continentem & incontinentem ſeu impotentem, inter temperantem & intemperantem quid differat. Continens (inquit) cum affectibus colluctatur, & vincit: incontinens reluctatur quidem, ſed victus dolet. contrà, temperans nullā habet luctam: ſed pacatis affectibus vtitur, vt mare tranquillum, quod nullo agitatur vento. intemperans verò ſine lucta manus dat affectibus, ſeq; obſequentem omnibus

Finis omnium virtutum.

Ad continentiam quæ virtutes referantur.

Per continentiā ad laudem temperantiæ peruenitur, vt per diatheſin ad habitum.

Quomodo cōtinentiam & temperantiam diſtinguat Ariſt.

Vide Plutarchū de virtute morali.

omnibus voluptatibus sponte profitetur. Contrarium continentiæ vitium est, incontinentia, non minus latè patens. ea definiri potest, immoderata voluptatum cupiditas, quæ rationis imperio non gubernatur: seu immoderatus ac rationi repugnans libidinis, gulæ, vinolentiæ, ceterarúmque inhonestarum voluptatum vsus. Nihil est hoc vitio turpius & abiectius, quod seruum reddit hominem, atque omni libertate spoliat: quem improbißimis dominis cupiditatibus, libidinibus, heluationibus, iracundiæ, auaritiæ, aliijsq́ dedecoris ac turpitudinis administris mancipet: vt eleganter à Cicerone disputatur in quinto Paradoxo.

Quid Incontinentia.

Vituperatio incontinentiæ.

De clementia. CAP. XXXV.

Vt in refrenãdis ac moderandis cupiditatibus continentia spectatur, ita clementia in iracundia cohibenda. Duæ enim sunt, vt suprà dictum est, animi partes, appetens & irascens: ex quibus omnes oriuntur affectiones. Definitur à Cicerone clementia, per quam animi temere in odium alicuius concitati, comitate retinentur. Seneca plures eiusdem virtutis definitiones adferens, Clementia, inquit, est temperantia animi in potestate vlciscendi: vel, lenitas superioris aduersus inferiorem, in constituendis pœnis: vel, inclinatio animi ad lenitatẽ in exigenda pœna. Dicitur enim eadem lenitas, seu lenitudo, & mansuetudo, qua iræ impetus ratione reprimitur, & in vlciscendo atq; animaduertendo moderatio adhibetur. Sed hanc ita prudentia regit, vt nec omnibus, nec nulli ignoscatur: ne spe veniæ peccent improbi, et lædant bonos, quibus nocere merito dicitur, quisquis pepercerit malis:

Clementia, lenitas, mãsuetudo.

Quid Clemẽtia

Plures definitiones Clementiæ ex Seneca.

Cur sit clementiæ necessaria prudentia.

vtrumq; enim crudelitati potius quàm clementiæ conuenit: sed in partem humaniorem tamen, quàm in alteram peccare præstat: nisi fortè qui reipub. præsunt, exemplum in aliquos necessariò edendum iudicarint: quos optat Cicero legum similes esse, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Clementiæ est, caussas parcendi quærere. Priuatorum certè nemo vereatur se ad illam clementiorem partem inclinare, nec vnquam de illata sibi iniuria vindicanda cogitet: sed irarum stimulos cohibeat; & hanc intelligat omnium pulcherrimam esse victoriam, ac præcipuè Christiano homine dignam. Clementiæ contraria est crudelitas ac sæuitia, seu atrocitas animi in vindicando & sumendis supplicijs, cuius comes accedit immanitas: id est, efferata crudelitas, qualis eorum est, qui in captos aut prostratos, etiam in mortuos vt immanes belluæ sæuiunt. vtroq; vitio nihil est ab hominis natura alienius, cuius propria est humanitas, & clementia; & huic virtuti vinculo amabili coniuncta misericordia, quæ clementes & humanos reddit: qua nulla virtus Deo, cuius immensa est & inæstimabilis misericordia, gratior esse potest. Clementiæ cognata videtur, sed vitium est, lentitudo: quæ stupidi hominis est, non lenis. Ceterum crudelitas non solùm huic virtuti contraria est, verũ etiam iustitiæ & fortitudini; hominum naturæ, quam sequi debemus, vt ait Cicero, maximè inimica.

Ad puniendum non iracundia sed æquitas mouere debet.

Priuata iniuria non vindicanda.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum; mimus est Publianus.

Contraria clementiæ crudelitas.

Immanitas.

Clementia & misericordia Deo gratissima.

Lentitudo vitium est.

Crudelitas alijs etiam virtutibus contraria.

De modestia. CAP. XXXVI.

Quid modestia?

MODESTIA dicta est, quòd modum quendam ac moderationem conseruet, omnibus quidem virtutibus communẽ, quæ definiuntur mediocritates inter

nimium

nimium et parum, sed quæ propriè in hanc temperantiæ speciem conueniat. Definiri autem Modestia potest, per quam pudor honestus omnium dictorum atq; factorum moderationẽ adhibet; & temporũ opportunitatem, atq; omnibus in rebus modum ac decorũ seruat. Lib. 3. ad Herẽnium, Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum. Et à Cicerone libro secundo de Inuentione, per quam pudor honestus claram & stabilem comparat auctoritatem. & libro primo de Officijs definit, omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordinem & modum, & scientiam opportunitatis idoneorum ad aliquid agẽdum temporũ: Stoici scientiam earum rerum quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum. Prima definitio pudorem honestum, quem Cicero ingenuam quandam timiditatem appellat, & verecundiam nobis commendat, quæ est reuerentia quædam aduersus homines: cuius proprium est, neminem offendere: sicut iustitiæ, neminem violare. quæ definitur ab illo in Partitionibus Orator. custos omnium virtutum, dedecus fugiens, laudemq; maximè consequens. Et Aristoteles vocat metum dedecoris & infamiæ. Atque hæ quidem definitiones non vnam aliquam virtutem verecundiam declarare videntur, sed generalem quandam cum omnibus virtutibus coniunctam, quod alio nomine decorum vocatur, et nostra definitione comprehensum est. Pudor inter affectus à nobis annumeratus est: vbi intelligi volumus repentinam commotionem, qua quis subitò perturbatur: hic verò coniunctam virtuti affectionem, vsu confirmatam, quæ dedecoris atque infamiæ metu nos à vitijs auocat. eam si non ipsam virtutem, at certè cum virtute

Quid verecũdia.

Verecundia generalis idem quod decorum, de quo breuiter ad finem huius capitis explicabitur.

Pudor interdũ est affectus, interdum virtus. aut virtuti coniuncta.

tute copulatam fateamur: qua nihil est homini ad fugiendam turpitudinem vtilius. Ex hac affectione obortum ruborem, virtutis colorem Diogenes appellabat: indicans, eum pudorē ab indole bona proficisci. quem tamē hîc moderatum esse volumus: vt sit mediocritas, quæ propria virtutum est, inter nimium pudorem seu timiditatem verecundiæ imitatricem ac rusticum pudorem, & impudentiam. A pudore, pudens seu verecundus virtutis nomine dicitur: cui contrarium est, impudens, & inuerecundus. laudabilis hic rerum turpium metus est, & in minoribus natu virtutis indolem significat, præcipuum etiam feminarum ornamentum. At impudentia detestabile vitium est, quo decorum & vitæ honestas omnis negligitur: & ad vitia, quia non timentur, aditus aperitur. Reliquæ Ciceronis definitiones, quas modò posuimus, quid sit modestia, satis explicant: vt sit earum rerum quæ aguntur, aut dicuntur, ordo & modus scienter obseruandus, quo quidq; suo loco, & tempore & decorè fiat. Eius enim officium est, ita moderari animi motus, vt omnium actionum consensio quædam retineatur: vt nihil quod ineptum sit, parumq; deceat, vel agatur, vel dicatur; ne quid iracundè, ne quid cupidè per odium, amorem, libidinem, arrogantiam, ambitionem, aliósue non rectos impetus animi fiat. Subijciuntur modestiæ demißio animi, discendi studium, sermonis festiuitas seu lepor seu vrbanitas, & cultus corporis. Animi demißio, quam vocant humilitatem, præclara Christianorum virtus est: qua quis ita animi insolentiam deprimit, vt quanto superior sit, tanto se gerat submißius. Hanc virtutem Christus ipse nos à se discere vo-

A pudore pudens, cui contrarium est Impudens.

Impudentia.

Modestia continetur moderatio: atque omnium rerum ordo & modus.

Modestiæ officium.

Ad modestiam referuntur Animi demissio, Discendi studiū, Vrbanitas & Cultus corporis.

Prima Modestiæ pars, Animi demissio.

Christus exemplum mitis & humilis animi.

re voluit, qui se mitem esse dixit, & animo humili atq; demisso: vt nos quoq; illius exemplo nostra bona, si qua sunt, extenuemus: cùm nihil habere boni possimus, quod non Dei concessu atq; munere nobis sit datum: vt nulla cuiquam mortalium sit de se gloriandi caussa, cùm donum omne perfectum cælitùs à Deo patre, qui mentes hominum illustrat, proficiscatur per IESVM Christum seruatorem nostrum, per quem veram sapientiam homines acceperunt, sancti Spiritus beneficio confirmatam. Docet igitur hæc virtus id præcipuè, quod olim de cælo delapsum ferebatur, Nosce teipsum: ne quis videlicet sibi nimium tribueret, cùm nihil habeat quod non acceperit. Est hoc etiam prudentis opus, ex quo intelliges modestiam atque temperantiam prudentiæ semper esse coniunctissimam: vnde & à Græcis σωφροσύνη dicitur, quasi conseruatrix prudentiæ. Contrarium vitium est superbia, & arrogantia, per quam præclara multa quis amore sui cæcus inesse, quæ non insunt, & maiora quàm insunt, sibi fingit: seu insolens & inanis, ac iudicio mentis carens ostentatio. Stultorum hominum de se bene existimantium vitium hoc, & Deo & hominibus est odiosum. Vitiosa quoq; est immodica suarum virtutum, eáque simulata extenuatio, & alienarum falsa præsertim prædicatio: quæ magis assentationi quàm virtuti conuenit. Altera modestiæ pars cum superiori magna cognatione coniuncta est, discendi studium, quo suam quis ignorãtiam agnoscens, scientiæ desiderio tenetur, ad quam comparandam animum applicat: & discere quàm prauè pudens nescire mauult. Facilè autem multa discit, qui scientiæ studiosus est, & se plurima nescire

Nulla est cuiquam de se gloriandi caussa.

Vnde omne donum, & vera sapientia.

Animi demissionis officium. Nosce teipsum.

Vnde σωφροσύνη dicta sit.

Contrarium vitium superbia & arrogantia.

Altera Modestiæ pars Discendi studium.

Horatius, Cur nescire pudens prauè quàm discere malo?

Philosophorum perpetuum fuit sapientiæ studium.

Contraria discẽdi studia vitia

Curiositas.

Incuria & Negligentia scientiæ.

Tertia modestiæ pars.

Vrbanitas.

Contraria vrbanitati vitia, scurrilis dicacitas & rustica insulsitas.

nescire intelligit: quales fuerunt philosophi, doctrinæ laude clarissimi; quorum tota vita nihil aliud quàm perpetuum quoddam scientiæ & sapientiæ studium fuit. His contrarij sunt, qui ad magnam eruditionem peruenire possent, nisi iam se peruenisse crederẽt: quod huic virtuti maximè repugnat, quæ ex modestia, & propriæ ignorationis confessione proficiscitur. Virtus hæc duobus est interiecta vitijs, curiositati & incuriæ, seu negligentiæ studiorum ac scientiæ. Curiositas est nimia diligentia, seu auiditas immoderata cognoscendi res vel malas vel inanes, ac parum necessarias: contraria laudabili ac naturali vehementiq́ue cupiditati ac studio discendi, omnibus hominibus insito. Propria enim hominis est, veri inquisitio atque inuestigatio. Vt autem curiositas meritò vituperatur: ita negligentia & incuria scientiæ, quæ stupidorum hominum est, & hebetium, qui brutis animantibus quàm hominibus similiores videntur. Tertia modestiæ pars est festiuitas seu iucunditas, & lepor, itemq́ue comitas, affabilitasq́ue sermonis, quibus qui prudenter vtetur, is omnibus iucundus erit, atque ob id etiam gratiosus. Festiuitas seu vrbanitas est, quæ modum quendam iocis ac ludis adhibet: & his tempore & loco apud eos, quibus ea grata sunt, ad honestam hilaritatem excitandam, ac vitæ molestias iucunditate quadam abstergendas vtitur. Est hæc quoque mediocritas inter duo vitia, teste Aristotele lib. II. & IIII. ad Nicomachum, scurrilem dicacitatem & rusticam insulsitatem. Qui iucunditatis ad iocum accommodatæ modum tenet, festiuus seu vrbanus habetur: qui transit modum, scurrilis, quales parasiti sunt & histriones, alijq́ue leues homines

mines & ridiculi. Qui verò omnino ab iocis abhorret, is agrestis & rusticus iudicatur. Sed diligenter cauendum est; ne dicacitate nostra quenquam offendamus: ne sint immoderati sales, ne turpes, ne inepti. Multa festiuè dicta suppeditabit Apophthegmatum opus ab Erasmo collectum. Quod autem attinet ad reliquam vitæ iucunditatem: qui ita se iucundum præbet, vt ratio postulat; is facilis, comis, & affabilis: & mediocritas, facilitas dicitur. qui modum transit, si nulla caussa ductus, nimium facilis & obsequens; sin emolumenti sui caussa, assentator habendus est. At qui omnino abhorret disceditq; à modo & ratione, seq; tristem rebus omnibus præbet; is morosus & difficilis putandus est, & omnium odio dignus, cum inhumana illa & prudentibus viris ingrata tristitia & agresti seueritate. Quibusdam innata videtur esse tristis quædã in vultu seueritas, qualis illi Terentiano Critoni tribuitur in Andria: quæ si naturalis est, certè nec bona propriè, nec mala dici potest. Bona iudicabitur, si rectæ rationi congruat. Sed est quoddam genus hominum, qui fronte & supercilio, atque etiam gestu, incessu & voce stultitiam cõtegunt: quorum affectata grauitas, praua consuetudine confirmata, cordatis viris & ad humanitatem rectiùs informatis perridicula videri solet. Sunt alij quidam præsertim ex ijs, qui sunt in aulis principum versati, qui dum rusticitatem fugiunt, in odiosam et ineptam ciuilitatis affectationem incidunt. Modestiæ postrema pars docet ornatum cultumq; corporis esse moderandum, & in eo, sicut alijs in rebus, decorum seruandum; ne vel nimia cura & luxus, vel agrestis & inhumana negligentia & sordes reprehendantur.

Cauendum est ne sales offendant, ne sint immoderati, ne turpes, ne inepti.

Humanitas seu comitas, mediocritas est inter morositatem, & nimiam facilitatem atque adulationem.

Innata quibusdã seueritas ac grauitas.

Simulata grauitas odiosa est.

Inepta ciuilitatis affectatio.

Postrema pars Modestiæ Moderatus corporis cultus.

dantur. Hæc enim virtus, quæ cultu corporis commodo & naturæ necessitati conueniente constat, mediocritas est inter luxum & sordes. Sit igitur moderatus vestitus, mundus, aptus corpori: & ad vsum, non ad stultitiam & ridiculam ostentationem conueniens; qualis barbarus et exoticus esse solet: sit personis pro dignitate & opibus, & sexui, ætati, loco, tempori, & honestæ consuetudini accommodatus. Alius nobiles & diuites, alius plebeios & tenues: alius viros, alius mulieres: alius senes, alius iuuenes decet. Cùm autem Cicero lib. 1. de Officijs optimè & copiosissimè de decoro scripserit tum philosophico tum poetico, et speciali; nos hic breuiter id solum perstringemus, quod à philosophis tractatur, omittentes etiam illud, quod communi hominum iudicio in omnibus actionibus pulchrũ & probabile, & bene à natura informatos homines pro sua cuiusq; persona ac dignitate decere videtur, & hoc capite magna ex parte sumus complexi: Philosophicum igitur illud generale decorum est ipsum honestum, aut huius velut splendor quidam, & lumen omnium virtutum, ita cum honesto coniunctum, vt pulchritudo corporis cum bona valetudine. Quemadmodum enim bonus corporis habitus seu bona valetudo pulchritudinem ac suauitatẽ coloris gignit, contrà valetudo mala deformitatem & insuauem colorem: ita honestas decorum parit. qui tanquam virtutis color est & ornamentum.

Contraria vitia luxus & sordes.

De Decoro.

De intemperantia, & duabus eius partibus.

CAP. XXXVII.

Quid intemperantia.

INTEMPERANTIA *est, obsequium cupiditatibus contra rationem indulgens: quam Cicero libro quarto*

quarto Tusculanarũ quæstionum definit, à tota mente, & à recta ratione defectionem, sic auersam à præscriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Partes huius vitij duæ sunt: vna, quæ nimium voluptatibus indulget: altera, quæ nihil. per illam præcipites homines belluarum more in omnes voluptates ruunt, reiecto rationis imperio: per hanc, animi duritia nonnulli tanquã stupore quodam, ad omnes voluptates redduntur hebetes; & honestam etiam ac necessariam iucunditatem sine caussa reijciunt & aspernantur. sed horum perpaucos reperiri puto, qui ab omni voluptate, qua vel maximè natura delectatur, immanitate quadam sic abhorreant, vt nulla iucunditate demulceri possint. Multò plures in alteram peccare partem solent, & magno cum temporis, & valetudinis, & famæ detrimento, luxuria & otio diffluentes nimis laxas habenas dare voluptati, quam ex præscriptione rationis temperantia refrenat: quæ duobus illis interiecta vitijs, auream illam & propriam virtutis mediocritatẽ semper tenet. Cetera vitia, quibus reliquæ temperantiæ species interiectæ sunt virtutibus singulis addita, hîc repeti non est necesse.

Duæ partes intemperantiæ.

ἀναισθησία immanis duríties in voluptatibus aspernandis.

Pauci ab omni voluptate abhorrent: plures ei nimium indulgent.

Ouid. Otia dant vitium, etc.

De virtutum inter se coniunctione, differentia & præstantia. CAP. XXXVIII.

VIRTVTES *omnes, quæ modò perfectæ sunt, & ad rationis habitum perductæ, mutua quadã inter se cõnexione ita deuinctæ sunt, vt corporis vnius membra: ita amabili concordia consentiunt, vt in cantu, & fidibus concentus musicus. Quamuis enim specie differant, cùm sint species diuersæ, vsu tamen eas, vt*

Virtutes omnes, vt artes, vsu cõiunctæ sunt; non autem vitia, quę contraria inter se esse possunt, vt auaritia & effusio.

artes inter se coniunctas intelligimus. Hæc est illa multiplex annulorũ series, quam à magnete attrahi Plato scripsit. Non enim perfectè ac verè prudentem vocaueris, qui non idem sit & iustus & fortis & temperans: nec iustum, qui ceteris careat: nec fortem nec temperantem, qui reliquorum comitatu non sit instructus; etiam si frequentiùs in vna virtute quàm in alia versetur, & in ea malit excellere. Inchoatæ verò virtutes non ita coniunguntur, vt quasi consensum concentumq́; efficiant. Socratẽ fuisse temperantem & modestum accepimus: sed illa quæ peculiaris ei fuisse dicitur ironia, cùm tam cupidè aliorum inscitiam argueret, arrogantiæ reprehensionem effugere non potest. At verò illa beati Iobi summa patientia ac temperantia litteris sacris prædicata, omnium perfectißima fuit: qualis & Abrahami fuit obedientia, Iosephi in Aegypto cõtinentia, mansuetudo Mosis, aliorumq́; patrum, qui diuino spiritu regebãtur, virtutes. Sed huius tam perfectæ virtutis exempla non ita multa proferuntur: inchoatæ verò plurima numerari possunt. Virtutes aliæ alijs dignitate & actione præstant: vt prudentia, cuius in mente sedes constituitur, & in veri inquisitione versatur, temperantiæ præfertur, quæ voluptates moderatur, & modum rebus omnibus adhibet: cui locus aßignatur in appetente animi facultate: iustitia fortitudini, quòd illa seipsa contenta non egeat alijs, ad conseruandam humanæ societatis æqualitatem neceßaria: nullamq́; certam habeat sedem, sed ad omnes animi partes æquè diffundatur: hæc in difficultatibus contemnendis versetur, & in irascentis animi facultate sit collocata, nec poßit ope iustitiæ carere. Quatuor autem

Plato in Ione.

Inchoatæ virtutes non ita inter se coniunctæ sunt, vt perfectæ.

Perfectæ virtutis vir in hac imbecillitate humana non facilè reperitur, nisi à Deo fuerit excitatus. Nec enim Socrates, nec Cato, nec vllus veterum sine exceptione laudari potest. Et veteres illi heroes Hercules, Achilles, Alexander, Cæsar, multa quidem fortiter, sed plura fortaßis etiã temere fecerunt. etc.

autem his primarijs virtutibus quæcunque subiectæ sunt, vt ordine, sic dignitate sunt inferiores, propterea quòd earum alijs aliæ subsint: nec statim ad summum bonum, quòd illa summa capita proximè spectant, sed ad sua genera singulæ referantur, & nos potius quàm felicitatem respiciant: cùm non ipsæ per se, sed per illa quatuor genera ad ipsum Deum, qui bonorũ omnium est finis, dirigantur. Ad hunc finem exoptatum, æternamq́ felicitatem, per virtutis quidem actiones (vt initio dictum est) sed quas ipse nobis Deus sua benignitate fortunet, peruenitur: cui laus omnis, honor & gloria æterna debetur.

Quatuor illæ primariæ virtutes omnibus præstant, quòd ad summum bonum proximè spectent.
Deus bonorum omnium finis est.

FRAGMENTA QVÆDAM PYTHAGOREORVM, EX STOBÆO, INTERPRETE G. CANTERO.

HIPPODAMI THVRII.

ANIMALIA *beatitudinis alia capacia sunt, alia non sunt. Capacia sunt ea, quæ ratione sunt prædita: quandoquidem beatitudo sine virtute subsistere non potest: virtus autem in eo, quod rationis est compos, cernitur. Capacia non sunt, quæ ratione carent. Etenim nec quod visu caret, visus aut operis aut virtutis est capax: nec quod rationis est expers, ratione præditi vel opus vel virtutem potest capere. At beatitudo & virtus ratione præditi, illa tanquam opus, hæc tanquã ars quædam est. Iam ratione prædita quædam ipsa per-*

fecta ſunt, quæ per ſe ſunt perfecta, nec vlla re externa vel vt ſint, vel vt bene ſint, indigent: qualis quidem ſit Deus. Non ipſa perfecta ſunt, quæ per ſe non ſunt perfecta, verùm externas res requirunt: qualis quidē ſit homo. Non ipſa perfecta porrò quædam perfecta ſunt, quædam imperfecta. Perfecta, quæ & ſuis & externis cauſſis nituntur: ſuis, quòd & naturam bonam, & conſilium rectum attulerint: externis, quòd rectam legum conſtitutionem, ac probos præfectos nacti ſint, qualis quidē ſit homo bonus. Imperfecta ſunt, quæ vel neutrum horum, vel tantùm aliquod ſunt conſecuta, vel prorſus prauo ſunt ingenio. qualis quidem ſit alterius generis homo. Perfecti homines porrò alij natura ſunt, alij vita perfecti. Natura, qui boni duntaxat ſunt: id eſt, virtute præditi. Virtus enim cuiuſque, in cuiuſque rei natura ſupremum eſt, & perfectio: tum oculi, in oculi natura ſupremum & perfectio: tum hominis, in hominis natura ſupremum & perfectio. Vita perfecti ſunt, qui non boni tantùm, ſed etiam beati ſunt. Cùm enim beatitudo ſit humanæ vitæ perfectio: vita quidem eſt actionum compoſitio, eas autem ad finem deducit beatitudo. id quod per virtutem fit, & felicitatem: illam propter vſum, hanc propter ſucceſſum. Ac Deus quidem nec virtute ab aliquo percepta bonus, nec felicitate comitante beatus eſt redditus. Etenim natura tum bonus tum beatus erat, ſemperq́ue & fuit & erit: nec vnquam talis eſſe deſinet, cùm interire non poſſit. Homo verò nec bonus natura, nec beatus eſt, verùm diſciplinam & fortunam requirit: virtutis quidem, vt bonus: felicitatis autem, vt beatus euadat. Quocirca duo hæc beatitudinem

dinem humanam constituunt, laudatio, & felicitatis prædicatio. Laudatio virtuti, altera felicitati tribuitur. Iam virtutem ex diuina, felicitatem ex humana sorte adipiscitur. Differunt autem cum diuina cælestiaq́ à mortalibus ac terrenis, tum à melioribus deteriora. Itaque qui deos sequitur, beatus: qui mortales, miser euadit. Nam prudentia prædito decens & vtilis est felicitas: decens, quoniam vti nouit: vtilis, quia factis manum admouet. Pulcrum igitur est, quando cum felicitate prudentia coniungitur, tanquam secundo vento actiones ad virtutem, tanquam Cynosuram respiciendo perficere. Sic enim non Deum tantùm sequetur, sed etiam humanũ bonum cum diuino componet. Hoc quoq; manifestum est, ex affectionibus & factis discrimẽ vitæ gigni. Est autem tum affectio vel honesta, vel turpis, tum factum vel beatum vel miserũ Honesta affectio est, quæ virtutis: turpis, quæ vitij particeps est. Facta quoq; beata sunt, quæ in felicitate cernuntur, quoniam ratione perficiuntur: misera, quæ in infelicitate, quoniã finem nõ assequuntur. Quapropter virtus non modò discenda, sed etiam poßidenda, & ad familiarum ac rerump. vel securitatem, vel auctum, vel etiam (quod est maximum) emendationem est vsurpanda. Rerum enim præclararum non tam poßeßionem, quàm vsum sectari debemus. Quæ quidem omnia contingent, si quis remp. bene constitutam nanciscatur, id quod equidem Amalthea, quod dicitur, cornu voco. Etenim in recta legum constitutione sunt omnia, neq; maximum humanæ naturæ bonum vel existere absq; ea, vel cõparatum & auctum permanere poßit. Nam & virtutem,

& ad virtutem viam hæc in se continet: quandoquidem in ea partim naturæ bonæ procreantur, partim & mores, studia, leges optimè se habent, & recta ratio, pietas, sanctimonia magnoperè vigent. Quamobrem qui beatus futurus & feliciter victurus est, eum in bene constituta repub. & viuere necesse est, & mori. Quid quòd etiam necessariò quæ ante dicta sunt, ita se habent. Cùm sit enim homo societatis pars, hac ratione fit eodem pacto perfectus, si non tantùm socium, sed & probum socium se præbeat. Quædam etenim in pluribus, non in vno: quædam in vno, non in pluribus cernuntur: quædam & in pluribus, & in vno: ideoq; in vno, quoniam & in pluribus. Nam harmonia, concentus, numerus, in pluribus cernuntur; quandoquidem horum nulla pars totum queat constituere. Iam visus & auditus præstantia, pedumq; velocitas in vno duntaxat existunt. At beatitudo & animi virtus, & in vno, & in pluribus, & in toto, & in vniuerso cernitur. ideoq; in vno, quoniam & in pluribus: ideoq; in pluribus, quoniam & in toto atque vniuerso. Nam & naturæ totius constitutio singulas partes constituit: & singulorum constitutio totum atque vniuersum absoluit. Id autem inde fit, quòd natura prius est parte totum, non pars toto. Si enim mundus non esset, nec sol, nec luna, nec vel errantes vel inerrantes extarent stellæ. Postquam verò mundus est, horum quoque singula cernuntur. Atque hoc in ipsa quoque animalium natura perspicitur. Si enim animal non esset: nec oculus, nec os, nec auris appareret. Postquam autem est animal, hæc quoque singula cernuntur. Sicut porrò totum ad partem, sic etiam totius virtus ad partis virtutem

tutem se habet. Siquidem absque harmonia diuinaq́ꝫ mundi cura non possent, quæ constituta sunt, in statu suo permanere: absque recta legum in ciuitate constitutione, nullus vel bonus vel beatus posset esse ciuis: absque animalis sanitate, non posset nec pes nec manus roboris & valetudinis esse particeps. Est enim vt mundi virtus, harmonia: ita ciuitatis, bona legum constitutio: & corporis, sanitas ac robur. Atque singulæ totorum partes ad totũ & vniuersum referuntur. Nam & oculi totius corporis caussa cernunt, & reliquæ partes totius atqꝫ vniuersi caussa constitutæ sunt.

EVRYPHAMI PYTHAGORICI LIB. DE VITA.

PERFECTA *hominis vita quemadmodum Deo cedit, quoniam ipsa perfecta non est: ita brutis præstat, quoniam virtutis & beatitatis est particeps. Nam nec Deus externam caussam requirit, (cùm enim natura bonus ac beatus sit, per se perfectus est) nec brutum vllum. Etenim cùm ratione careant, actionum quoqꝫ carent scientia. At hominis natura partim sui est consilij, partim etiam diuinum requirit auxilium. Quòd enim rationem capere, honesta turpiáque cognoscere, rectà in cœlum à terra suspicere, deosq́ꝫ altißimos potest comprehendere; diuinum quoqꝫ adeptus est auxilium. Rursum quòd voluntatem habet atqꝫ consilium, ac tale in se initium, quo posßit & virtuti & vitio studere, deosq́ꝫ & colere & auersari: per se quoque moueri valet. Quapropter tum laudem & honorem, tum vituperationem & ignominiam partim*

diuino, partim humano facto cõsequuntur, siue virtuti siue vitio dederint operam. Sic namque se tota res habet. Hominem Deus, animal præstantissimum, & vt suæ naturæ respondens, ita Vniuersi constitutionis oculum in mundo collocauit. Quamobrem hic et rebus imposuit nomina, quarum fuit signator: & litteras inuenit, memoriæ thesauro instructo: & Vniuersi constitutionem imitatus, iure ac legibus vrbium societatem concinnauit. Nullum enim factum nec mundo, nec dijs potest esse dignius; quàm ciuitatis bene constitutæ compositio, legumq́ue & reip. constitutio. Si quidem vnusquisque, cùm sit per se nullus, nec ad vitam in communi concordia, reiq́ue pub. compositione degendam per se aptus est, & ad integram perfectámque societatis compagem constituendam ineptus. Etenim humana vita lyræ vndique perfectæ & accuratæ similis est. Sicut enim lyra omnis tria hæc requirit, apparatum, compositionem, & pulsum musicum (apparatum dico, propriarũ partiũ omnium copiam, vt chordarum, & ad pulsum ac sonum pertinentium instrumentorum: compositionem autem, mutuam sonorum proportionem: pulsum denique, horum pro compositione motum) sic etiam humana vita tribus his indiget. Apparatus quidem est, vitæ partium iustus numerus. sunt autem vitæ partes, corporis bona, opes, amici, gloria. Compositio est, horum secundùm virtutem & leges constructio. Pulsus denique musicus est, horum secundùm eadem permistio, cùm secundo vento virtus fertur, neque aduersi quicquam aliunde sentit. Non enim in eo, si voluntario scopo excidãt consilia, verùm si eum assequantur, est posita beatitudo: neque tam

vt

vt satellitibus ac ministris virtus careat, quàm vt suis facultatibus ad res agendas affatim instruatur. Nam non ipse perfectus, sed imperfectus est homo. Fit autem perfectus partim sua, partim aliena opera, idq; vel natura, vel vita. Natura, si bonus euadat: virtus enim cuiusque in cuiusq; rei natura supremum est & perfectio: tum oculorum, in oculorum natura supremum & perfectio; tum aurium, in aurium; tum hominis, in hominis natura supremum & perfectio. Vita perfectus fit, si beatus euadat. Beatitudo enim humanorum bonorū summa est, & perfectio. Quo fit, vt rursum virtus & felicitas eius vitæ partes existant: & virtus animæ, felicitas corporis, simul vtrumque animalis vicem gerat. Vt enim illius est, naturæ bonis rectè vti: ita huius, vsum suppeditare: & vt vti, virtutis, ita vsum præbere, felicitatis. Illius est, consilium & rationē rectam: huius, actiones & facta conferre. Nam vt honesta velle, & ferre grauia, virtutis est proprium: ita consiliorum optatus euentus, & factorum finis in felicitate situs est. Quemadmodū etenim vincit imperator virtute & felicitate; feliciter gubernator nauigat arte & vento secundo; rectè cernit oculus & videndi facultate & luce: ita præstantissima humana vita & virtute & felicitate redditur.

HIPPARCHI PYTHAGORICI LIBER DE ANIMI TRANQVILLITATE.

CVM breuissimum sit humanæ vitæ tempus, cum æternitate collatum, pulcerrimam homines tanquam peregrinationē instituent, si in animi tranquillitate viuere statuerint. Id autem consequentur maximè, si seipsos diligenter cognouerint, qui mortales & carnei sint, iniuriæ & interitus obnoxio præditi corpore, rebusq́ omnibus grauissimis ad extremum vsq; halitum expositi. Ac primum quidem ad ea, quæ corpori accidunt, veniamus. hæc sunt pleuritides, pulmonis morbi, phrenitides, podagræ, vesicæ morbi, dysenteriæ, veterni, comitiales, vlcera putrescentia, cetera infinita. At animo maiora multo atque grauiora contingunt. Quicquid enim sceleris, vitij, peccati, impietatis in hominum vita cernitur, ex animi perturbationibus ortum ducit. Etenim per immoderatas & à natura alienas cupiditates multi in effrenes impetus inciderunt, nec vel à filiabus vel à matribus turpissimam potuerunt cohibere libidinem. Quid quòd & parentes multi & liberos proprios iugularunt? Iam quid aliunde obueniētia referam mala, diluuia, siccitates, æstus & frigoris inclementiam, sicut ex aëris inæqualitate nonnumquam pestis, fames, varijq́ casus oriuntur, ac totæ desolentur vrbes? Quæ cùm impendeant multa, neque corporis bonis confisi, quæ vel vna febricula statim corrumpuntur, nec externa, quæ videtur, efferamur felicitate, cùm & hæc sæpe citius recedere soleat, quàm accedere. Hæc enim omnia in-

certæ

certa esse & instabilia, nec eorum quicquam firmum, perpetuum, aut immobile existere, multis & varijs ex mutationibus cognouimus. Quapropter & hæc animo reputantes, & an ea, quæ data præsto sunt, vel minimum tempus durare poßint, cogitãtes, fortiter, quicquid accidit, si feramus, animi fruemur trãquillitate. Nunc verò permulti, quæcunque vel natura vel fortuna dedit, meliora cùm finxerunt, nec tam ea qualia sint, quàm qualia maximè cerni poßint, æstimarunt, subitò priuati, multis ac magnis turpibusq; malis animum deprimunt. quo fit, vt acerbißimè viuant ac miserrimè. Id autem vel in opum iactura, vel in amicorum aut liberorum morte, vel in aliarum rerum, quæ carißimæ dicuntur, amißione conspicitur. Tum verò flentes et eiulantes, infelicißimos ac miserrimos se solos prædicant: cùm nec eodem se, quo alios multos, modo & habuisse & habere meminerint, nec tum sui, tum superioris tẽporis hominũ vitam queant perspicere, quantis videlicet in calamitatibus & miseriarum cumulis & nunc agant, & olim permulti egerint. Quocirca si ex historia nobis tradita repetamus multos amißis opibus, eam ob iacturam ipsos postea saluos euasisse, cùm vel in latrones, vel in tyrannum eam ob rem potuissent incidere: multos quoque quos maxima beneuolentia prosecuti quondam fuerunt, eos pòst maximè odisse: nec paucos à liberis & amicis carißimis fuisse interemtos: si etiam nostram vitam cum aliorum infeliciore conferamus, casusq; omnes humanos atque communes habeamus, viuemus tranquilliùs. Nec enim debet, qui homo sit, aliena mala, sed & sua ducere facilia, cùm totam vitam multis videat ærumnis

nis refertam. At qui flent & eiulant, præterquā quòd nec rem amissam, nec mortui vitam recuperant, animum prauis rebus multis circundatum in maiores perturbationes impellunt. Quamobrem debemus omnibus modis inueteratas maculas abluentes & repurgantes philosophica doctrina detergere. Id porrò faciemus, cùm prudentiæ ac temperantiæ operam dabimus, & præsentem fortunam boni consulemus, ac plura non appetemus. Qui enim plurima coaceruant, numquam se post hanc vitam nusquam victuros animaduertunt. id quod quia non continget, bonis, quæ præsto sunt, fruamur, & philosophicæ grauitatis opera, turpium immodica cupiditate liberemur.

THEAGIS PYTHAGORICI
LIB. DE VIRTVTIBVS.

ANIMI *constitutio sic se habet, vt vna sit eius pars ratio, altera iracundia, tertia cupiditas. Ratio cognitioni, ira robori, cupiditas appetitui præest. Cùm igitur hæc tria vna compage in vnū rediguntur, tum virtus in animo gignitur & concordia: cùm per seditionem inter se diuelluntur, vitium oritur atque discordia. Sunt autē virtuti hæc tria necessaria, ratio, facultas, et consilium. Iam ratione præditæ animi partis virtus est prudentia, quoniam iudicij & contemplationis particeps est habitus: iracundiæ autē fortitudo, quandoquidē resistit, & grauia perfert hic habitus: cupiditatis verò temperantia, posteaquam corporis voluptatum quædam est moderatio: totius deniq; animi iustitia. Improbi porrò redduntur homines vel per malitiam,*

litiam, vel per incontinentiam, vel per feritatem: iniustè autem agunt vel lucri, vel voluptatis, vel gloriæ caussa. Ac malitia quidem ad ratione pollentem animi partem refertur, quandoquidem vt prudentia cum arte, ita malitia cum praua confertur arte, quoniam ad iniuriam dolos excogitat: incontinentia verò ad cupiditatem, posteaquam & in moderanda voluptate sita est continentia, & in non moderanda, incontinentia: feritas autem ad iracundiam. huic enim cùm quis maleficium non vt homo, sed vt fera gratificatur, ea dicitur feritas. Sunt quoque harum affectionum effectus & fines consequentes. Vt enim à malitia pendet auaritia, sic ad ratione pollentem animi partem refertur malitia. Similiter vt ad iracundiam pertinet ambitio, sic ipsa nimia reddita, feritatem gignit. Deniq; voluptas vt cupiditatis est, ita nimium quæsita parit incontinentiam. Quare cùm de tot caussis iniustè agamus, de totidem nimirum iustè agemus. Nam & virtus natura benefacit ac prodest, & vitium malefacit ac nocet. Et quoniam de animi partibus alia imperat, alia paret, virtutes autem in his ac vitia cernuntur, virtutes quoque partim imperantes, partim parentes, partim esse mistas efficitur. Imperat quidē prudentia, parent autē fortitudo ac temperantia: mista demum est iustitia. Perturbationes porrò sunt virtutis materia, quandoquidem in his illa cernitur. Est autem aliud perturbationis genus cum voluntate coniunctum, aliud non est: coniunctum, voluptas est; non coniunctum, dolor. Atque hæc & intendunt & remittunt ciuiles homines, dum reliquas animi partes rationis participi accommodant: id quod in eo positum est, vt

nec

nec propter nimium, nec propter parum suas actiones prohibeatur mens perficere. Quod enim deterius est, præstantioris caussa cœpit existere: vt in mundo semper patiens pars propter eam, quæ semper mouetur: in animalibus femina propter marem (hic enim animum gignit, illa dumtaxat materiam gignẽdo suppeditat) in animo ratione carens pars propter rationis compotem. Nam & iracundia et cupiditas ad primam animi partem refertur, illa tanquam satelles & latro, hæc curatoris instar & custodis domestici. At mens in summo corporis vertice collocata, in pellucida vndique specula eorum, quæ sunt, scientiam inuestigat, & hoc à natura opus habet, vt post inuestigationẽ & acquisitionem, melioribus ac præstantioribus vtatur. Etenim rerum diuinarũ ac præstantissimarum cognitio, beatitudinis humanæ principium, caussa, & norma est.

METOPI PYTHAGOREI
LIB. DE VIRTVTE.

HOMINIS *virtus est hominis naturæ perfectio. Etenim per propriam virtutis naturam perfectum quicque ac supremum redditur. Nam & equi virtus est ea, quæ naturam equi ad supremum perducit, & in partibus singulis eodem se modo res habet. Nam & oculorum virtus est acer visus, idemq; supremum in oculorum natura: & aurium virtus acer auditus, idemq; supremum in aurium natura: & pedũ virtus velocitas, eademq; supremũ in pedum natura. Sunt autem virtuti hæc tria necessaria, ratio, facultas, & consilium. Ratio iudicat et contemplatur: facultas*

resistit & moderatur: consilium amat & amplectitur. Iam iudicare & contemplari, intelligentis animi partis est proprium: resistere & moderari, ratione carentis: amare & amplecti, vtriusq;, tam quæ ratione caret, quàm quæ pollet. Cùm enim ex intelligentia & appetitu constet consilium, illa ad rationis compotem animi partem, hic ad expertem refertur. Iam virtutum omnium numerū, nec non virtutis ortum & constitutionem ex animi partibus licet cognoscere. Etenim animi partes primæ sunt duæ, altera compos rationis, expers altera. Illa iudicamus & contemplamur, hac ferimur & appetimus. Hæ porrò vel consentiunt inter se, vel dissentiunt. quæ quidē pugna ac discordia propter nimium vel parum existit. Cùm igitur rationis compos pars moderatur expertem, tolerantia gignitur & continentia. cùm altera imperat, paret altera, & inter se ambæ consentiunt, virtus nascitur. Ac tolerātia quidem & continentia cum dolore gignuntur, dum labori illa, voluptati hæc resistit. Incontinentia verò ac mollities nec resistit nec moderatur. Quo fit, vt bona propter dolorem fugiamus, propter voluptatem amittamus. Quid quòd laudationes, vituperationes, cunctaq; humana bona in his animi partibus cernuntur. Et hoc quidem pacto virtus in vniuersum constituitur: species autē eius & partes hoc modo sunt considerandæ. Posteaquam duæ sunt animi partes, altera ratione prædita, carens altera, quæ porrò vel iracundia, vel cupiditas dicitur, & rationis compos quidem est, qua iudicamus & contemplamur: expers autem, qua ferimur & appetimus. huius porrò qua parte tanquam vlciscimur nos ac defendimus, vocatur iracundia:

dia: qua propriam corporis constitutionem tanquam appetimus ac desideramus, cupiditas: efficitur, ex his animi partibus etiam virtutum numerum, discrimen, ac proprietatem pro portione consequi.

CLINIÆ PYTHAGOREI.

ET *omnis quidem virtus, vt initio definitum est, ratione, consilio, ac facultate perficitur: horum autem singula non virtutis partes, sed caussæ sunt.* Itaq; *qui intelligente atq; cognoscente huius parte valent, solertes ac prudentes dicuntur: qui morali & appetente, vtiles & commodi. Quoniam verò non sine caussis exsuscitatis iniustè solent agere, hæ autem tres sunt, intemperantia in corporis voluptatibus, auaritia in lucrando, ambitio in æqualibus antecellendis: sciendum est, his opponi posse & quæ metum, & quæ pudorem, & quæ cupiditatem pariant: metum propter legem, pudorem propter Deum, cupiditatem propter sermonē. Quocirca sunt initio iuuenes & deorum & legum honorem docendi. hic etenim omne factum humanum, totaq; vita, si nō desit successus, sanctimoniæ pietatisq; particeps erit.*

THEAGIS PYTHAGORICI
LIB. DE VIRTVTIBVS.

VIRTVTIS *omnis caussæ sunt tres, cognitio, facultas, & consilium.* Cognitio *est, qua res contemplamur et iudicamus.* Facultas *tanquam robur est caussæ, qua ferimus, & in rebus permanemus. consilium instar manuum est animi, quibus ferimur, & res apprehendimus. Animi quoque constitutio sic se habet,*

habet, vt vna sit eius pars ratio; altera iracundia, tertia cupiditas. Ratio cognitioni, ira robori, cupiditas appetitui præest. Cùm igitur hæc tria vna compage in vnum rediguntur, tum virtus in animo gignitur & concordia: cùm per seditionem inter se diuelluntur, vitium oritur atq; discordia. Iam cùm ratio partes animi ratione carentes moderatur, tolerantia gignitur & continentia, dum labores illa, voluptates hæc moderatur: cùm ratione carentes moderantur rationem, nascitur mollities & incontinentia, dum labores illa fugit, à voluptatibus hæc vincitur. Cùm verò melior animi pars imperat ac præest, deterior paret ac sequitur, & inter se ambæ consentiunt, tum virtus & omne bonum per totum animum existit. Et cupiditas quidẽ cùm rationem sequitur, fit temperantia: cùm iracundia, fortitudo: cùm partes omnes, iustitia. Hæc enim & vitia cuncta, & virtutes animi inter se discernit: & animi partium compagis quædam est constitutio, virtusq; perfecta & suprema. Vt enim in hac omnia sunt, ita sine hac reliqua non existunt animi bona. Quapropter & inter deos magnam vim habet, & inter homines iustitia. Totius enim atq; vniuersi tum inter hos, tum inter illos communionẽ hæc virtus continet. ac Themis quidem apud superos, Dice autem apud inferos, Lex verò inter homines prædicatur. Hæc porrò iustitiam supremam esse virtutem indicant. Cùm quidẽ in iudicando & contemplando posita virtus est, vocatur prudentia: cùm in grauibus ferendis, fortitudo: cùm in moderandis voluptatibus, temperantia: cùm in lucro & iniuria non faciendis, iustitia. Iam eandem vel secundùm rectam rationem constitui,

G vel

vel præterrectam rationem non cõstitui, decorum est' vel indecorum assequi. Est autem decorum, quod esse decet. id quod nec addi quicquam nec demi postulat; quandoquidem ipsum, quod esse decet, est. Indecori verò species duæ sunt, nimium & parum. illud plus quàm decet, hoc minus habet. At virtus decori est habitus. quocirca statim quoq; & supremum est & medium. hîc enim decora quoq; & media sunt & suprema: media, quoniam inter nimium & parum constituta sunt suprema, quoniam nec addi quicquam nec demi postulat, quandoquidẽ quod esse decet, ipsa sunt.

Quoniam quidem morum virtus in perturbationibus versatur, ac supremæ perturbationes voluptas & dolor censentur: efficitur, in eo virtutem non esse positam, vt quis ex animo perturbationes, voluptatem ac dolorem euellat, verùm vt aptè connectat. Etenim nec sanitas, quæ corporis facultatũ quædam est bona temperatura, in eo ponitur, si frigus, calor, humor, & siccitas tollantur; verùm si permisceantur, cùm sit horũ quasi quidam commensus: nec in musica, si acutum & graue demantur, concentus oritur. verùm si hæc aptè permisceantur, tum & concentus existit, & vocum discordia tollitur. Similiter calore, frigore, humore, siccitate permistis. & sanitas oritur, & morbis perit. Neque aliter iracundia & cupiditate rectè compositis, & vitia cum perturbationibus eximuntur, & virtutes moresq; existunt. Est autem morum virtutis maximè propriũ, quod in rebus honestis est, consilium. Etenim ratione ac facultate etiam sine virtute vti licet, consilio non licet, quandoquidem moris dignitatẽ consilium indicat. Quapropter & per vim imperans

iracundiæ et cupiditati ratio, continētiam ac tolerantiam parit; & per vim rursus à rationis expertibus pulsa, incontinentiam & mollitiem. Ceterùm tales animi affectiones & imperfectæ virtutes, & imperfecta sunt vitia. Vt enim est sana ratio, ita partes animi rationis expertes ægrotant. Et quatenus quidem à rationis compote animi parte ira & cupiditas reguntur, virtutes habentur continentia ac tolerantia: quatenus autem per vim hoc, non sponte fit, sunt vitia. debet enim virtus non cum dolore, sed cum voluptate officium facere. Quatenus rursum imperantes rationi ira & cupiditas, mollitiem & incontinentiam procreant, vitia hæc sunt: quatenus verò cum dolore perturbationibus gratificantur, dum errorem suum, quoniam sanus est animi oculus, agnoscunt, non vitia, vel saltem non prorsus habenda sunt. Manifestum est igitur, sponte virtutem debere officium facere. Et cum voluntate quidem coniunctum quod est, non caret voluptate & hilaritate: quod autem non est, dolore & metu non caret. Quid quòd simulatq; inciderit diuisio, hæc ita se habere comperientur. Etenim cognitio rerũ & inspectio ratione præditæ est animi partis: facultas autem ratione carentis. siquidem & laboribus resistere, & voluptates moderari, ratione carentis proprium est animi partis. Consilium verò in vtroq; cernitur, & rationis compote, & experte animi parte. cùm enim ex intelligentia & appetitu constet, illa ad rationis compotem, hic ad expertem refertur. Quamobrem & virtus omnis in partibus animi componendis posita est, & voluntas atq; consiliũ prorsus in virtute cernuntur.

Et in vniuersum quidem compositio quædam ratione carentium animi partium cum rationis compote virtus est: cùm autem & voluptas & dolor decori norma reguntur, tum existit. Nihil enim est aliud vera virtus, quàm decori habitus. Decorum autem est, quod esse decet: indecorum, quod non decet. Indecori verò species duæ sunt, nimium & parum. Illud plus quàm decet, hoc minus habet. Decorum porrò cùm sit, quod esse decet, & supremum sit & medium: supremum, quoniam nec addi quicquā nec demi postulat: medium, quoniam inter nimium & parum constitutū est. Sic porrò se decorum & indecorum inter se habēt, vt æquale & inæquale, dispositum & confusum: quæ quidem vtraq; finitum & infinitum sunt. Iam inæqualis partes ad medium, non ad se inuicem referuntur. Nam & obtusus dicitur angulus, qui recto maior est, & acutus, qui minor, & maior linea recta, quæ ductā è centro superat, & longior dies eo, quem dat æquinoctium. morbi quoque gignuntur, quoniam vel calidius vel frigidius redditum est corpus. siquidem quod calidius est, plus est mediocritate: quod frigidius, minus. Enimuero animus quoque cum suis hanc affectionem & proportionem habet. Vt enim audacia plus decoro habet in grauibus perferendis, ita minus ignauia. vt effusio plus decoro habet in sumtu faciendo, ita minus illiberalitas. vt ira plus decoro habet in iracundiæ impetu, ita stupiditas minus. Ac similis est aliarum affectionum oppositarum ratio. Debet autem virtus, cùm decori sit habitus, & perturbationum mediocritas, nec stupida esse, nec immodicè affici. Vt enim stupor immotum & languidum ad honestatem reddit animum, ita confusum

confusnm & imperitum immodica perturbatio. Quare sic debet in virtute perturbatio, vt in pictura vmbra atque linea, obiter elucere. Quod enim viuum ac tenerum & veritatē exprimens ducitur, id per hæc maximè, si boni sunt colores, efficitur. Animi quoq; perturbationes naturalis virtutis impetu & instinctu animantur. Vt enim ex perturbationibus oritur virtus, ita rursum orta cum ipsis coniungitur: quemadmodum ex graui & acuto concentus, ex calido & frigido temperatura, ex leui & graui æquilibrium. Non sunt igitur ex animo tollendæ perturbationes, quandoquidem id non conducit; verùm cum ratione prædito per decorum & mediocritatem aptè componendæ.

ARCHYTÆ PYTHAGOREI lib. de morum doctrina.

AIO *Virtutem ad miseriam, vitium ad beatitudinem fugiendum, si habitus ipsos inspiciamus, sufficere. Semper enim virū malum esse miserum necesse est, siue materiā habeat, quoniam ea malè vtitur, siue non habeat: quemadmodum & cæcum, siue lucem atque splendorem habeat, siue in tenebris degat, cæcum esse necesse est. At bonum non semper beatum esse necessarium est, quandoquidem non in possessione virtutis, verùm in vsu beatitudo cernitur. Nam neq; qui visu præditus est, videt semper. si enim luce careat, nihil videbit. Ac duæ secantur in vita viæ: altera difficilior, qua patiens incessit Vlysses: altera commodior, quam Nestor tenuit. Virtutem igitur aio & hanc expetere, & illam posse. Sed beatitudinem natura vitam opta-*

bilem, atque firmam, quoniam consilia perficiantur, prædicat. Quapropter qui, quæ non desiderat, omittet, vt beatus non est, ita nec planè est miser. Ne igitur morbis ac doloribus bonum virum carere audeant dicere. Quemadmodum enim corpori, sic & animo quædam, quæ dolorem pariant, relinquimus. Veruntamen stultorum dolores ratione carent: prudentum non vlterius, quàm ratio res definiens permittat, procedunt. Quid quòd ipsorum de stupore gloriatio virtutis generositatem tollit, si rebus medij generis, & non malis, morti, dolori, & paupertati se opponat. Facile etenim, quæ mala non sunt, vincuntur. Quocirca mediocritatem perturbationum sectari debemus. siquidem & stuporem æquè atque immodicam perturbationem fugimus, neque supra naturam nostram loquimur.

FINIS.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
PLANTINVS ANTVERPIÆ
ANNO M. D. LXXII.

PHYSICAE, SEV DE NATVRÆ PHILOSOPHIA INSTITVTIO,

PERSPICVE ET BREVITER explicata à CORNELIO VALERIO Vltraiectino, publico linguæ Latinæ, in collegio trilingui Buslidiano, professore.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini Prototypographi Regij.
clↄ. Iↄ. LXXII.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ *Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis* CORNELII VALERII *Vltraiectini publici linguæ Latinæ in collegio trilingui Buslidiano professoris opera; quorum tituli sunt,*

Grammaticarum institutionum libri quatuor,

Tabula summam artis Rhetoricæ complectens, &c.

Tabulæ totius Dialectices, &c.

De sphæra & primis astronomiæ rudimentis libellus,

Physicæ, seu de natura philosophiæ institutio, &c.

ab ipso auctore hoc anno postremùm, partim emendata & aucta, partim recèns emissa, citra Christophori Plantini Regij iurati typographi voluntatem, intra sexennium, vel coniunctim vel separatim imprimat, vel alibi impressa importet, distrahat, venaliáue habeat per omnes eius ditionis fines, sub pœna confiscationis, & graui mulcta: vt latiùs patet in litteris Bruxellæ datis III, *Septembris, &* XXVII. *Ianuarij. Anno* M. D. LXVI. *stylo Brabantiæ.*

Signat.

I. de VVit.

GENEROSIS ADOLESCENTIBVS VIRTVTIS ET OPTIMARVM ARTIVM STVDIOSIS,

Dn. CAROLO *à Meloduno, Principi Espinoiæ, Baroni Antonij, Conestabili Flandriæ, &c.*

Dn. PETRO *à Vuerchinio, Senescallo Hannoniæ, Comiti Annesinij, Baroni Sisonij, &c.*

Dn. ROBERTO *à Meloduno, Domino Richeburgi, &c.*

CORNELIVS VALERIVS VLTRAIECTINVS S. D.

QVOD iam pridem sum pollicitus, etiam ante primam tabularum Dialecticarum editionem, me Physicam Philosophiam dilucida quadã breuitate sic explicaturum; vt pauci de rerum obscuritate, quę multos ab arte præclarissima deterrere solet, conqueri iure possint: id ego & Sebastianus Foxius vir summo ingenio & eruditione minimè vulgari præstans, (cum quo mihi permagna & domestica & diuturna familiaritas fuit) perficere conati sumus. Totos enim quatuor annos cùm alia permulta, quibus excoluntur animi, tum verò philosophiæ studia inter nos communicantes ad suam quisque vtilitatem, & memoriæ firmãdæ caussa præcipuos vniuersæ philosophię locos vndecunque colle-

ctos, in eum ordinem, qui & naturæ maximè consentaneus & facillimus esse videbatur, redegimus, ego multa breuiter cõplexus, ille copiosè omnia ferè persecutus. In his quãuis vterq; longo tempore occupatus esset: à neutro tamen de edendo quicquam cogitatum est; donec ego illi, quòd & mirè promptus ad scribendum, & facilis esset; ea quæ de vtraq; philosophia scripsisset, leuiter à me nonnullis in locis recognita, vt in lucem emitteret, auctor fui, sperans fore, vt eius laboribus adolescentes adiuti plures ad Philosophiæ studium excitarentur: cùm res obscurissimas ita planè ac perspicuè explicatas viderent; vt per se quiuis non omnino rudis hac ratione tractatam Philosophiam omnem non ita magno labore se consecuturum sperare posset. Ego interea lucubrationibus illius contentus, quæ de vniuersa Philosophia fuerant à me conscripta, supprimere constitueram, & ea mihi ipsi retinere: quòd cum illo mihi de rebus ipsis conueniret; nec vlla nisi in paucissimis dissensio, qualis inter eorundem studiorum socios interdum salua animorum coniunctione existit, relinqueretur. In hac sententia cùm permanerem; egerunt mecum nonnulli ex ijs, qui iuuentutem instituunt, viri pereruditi; qui fortè legerant, quæ priuatim à me familiaribus quibusdam adolescentibus Philosophiæ perstudiosis dictata fuerant & Ethica & Physica; vt ederem: idque persuadere cœperunt, tum quòd ea, quæ maximè necessaria videntur, ex tota Philo-

sophia

ſophia in locos communes optimo ac facillimo ordine diſtincta contuliſſem;tum verò, quòd ea ſine diſpendio breuia eſſe ducerent,& ob id ſcholis aptiora, quàm ea quæ Foxius multò latiùs explicauiſſet:quibus tamen ipſis noſtra ſcripta, cùm opus erit, illuſtrata faciliùs intelligerentur. Quare ſi quid hæc Phyſica ſtudijs adoleſcentum prodeſſe poſsint; age patiar exire;nec amicis flagitantibus ea diutius denegabo: cùm præſertim non paucis, vt audio, deſcriptis exemplis,quæ familiaribus illis dictaueram,nunc ea paſsim in manibus aliorum verſentur,ex quibus inſignis Typographus Chriſtophorus Plantinus, homo & ingenioſus, & eruditus,& in primis induſtrius, exēplar fortè nactus cùm edere conſtituiſſet publicæ vtilitatis cauſſa;facilè à me impetrauit; vt non expectato veſtro aduentu,generoſi adoleſcentes,opus emitteretur, quod ipſum fortaſsis Ethica noſtra non longo interuallo conſequentur: quę cum eodem amico meo, qui me hortatore ſuos de Morali Philoſophia libros edidit;excuſsi diligenter, & ordine perfacili tractaui perſpicuè, & ad intelligentiam adoleſcentum accommodatè.Hæc ego cùm tibi ſoli, Princeps humaniſsime, nec tantùm perilluſtri parentum genere, verumetiam virtutis & eruditionis ſtudio nobiliſsime dicare vellem; quem & eloquentiæ & ingenuarum artium præ ceteris principum virorum filijs, qui tecum eodem tempore me docentem audierant; ſtudioſum fuiſſe meminiſſem: venit

mihi in mentem ſubuereri, ne diſtrahere coniunctiſſimos inter ſe fratres multoq; mihi amiciſsimos voluiſſe viderer: quos non ita pridem amabili quodam vinculo colligatos pueros adhuc vno volumine cõiunxeram. Quamobrem vobis tribus, optimi nobiliſsimíque fratres, hoc opuſculo, meque totum veſtri ſtudioſiſsimum dicatum eſſe volo: cui nihil hoc quidem tempore accidere poſsit optatius, quàm vt vos, & virtute & doctrina perpolitos, perfecto iam propemodum ſtudiorum curſu, reduces ex Italia, ſaluos & incolumes videam, atque complectar. Valete. Louanio. VI. Calend. Iulij. Anno à ſalute generi humano reſtituta. M. D. LXVI.

PHYSICÆ, SEV DE NATVRÆ PHILOSOPHIA INSTITVTIO, PERSPICVE ET BREVITER explicata à Cornelio Valerio Vltraiectino, publico linguæ Latinæ in collegio trilingui Buslidiano professore.

N*VLLAM omnium artium astrologia præclariorem censuisse Plato videtur; cùm* In Timæo.
datos hominibus oculos huius artis potissimùm caussa dixerit: idem videlicet intelligens, quod D. Paulus scripsit, ad Dei cognitionem ex Ad Rom. I.
operis pulcerrimi cõtemplatione mentes hominum cælum intuentes tanquam cõpendiaria quadam via peruenire. Quoniam autem mundus hic omnis, ac præcipuè cæli et siderũ motus (vnde nomen astrologiæ, astronomiæq; inditum est) huic arti velut materia, in qua versetur, propositus est, & astrologiæ cognata scientia physica de cælo ac stellis & elementis tractat, eorúmque naturales caussas inuestigat, quorum motus & interualla docet astrologia: pergratum optimarum artium studiosis adolescentibus facturũ me putaui, si post explicata cognitionis astrorum rudimenta summam Physices) id est, cognitionis naturæ.
totius ferè physices paucis comprehensam, ac præcipuos eius disciplinæ locos perstringerem: quibus cognitis, facilior ad omnem Aristotelis, aliorúmque philosophorũ de natura doctrinam aditus pateret. Physiologiam & Physicam Cicero interdum, naturæ rationem, interdum naturæ explicationem interpretatur. Quid Physica?
Continetur hac scientia cuiusque rei naturalis initiorum, caussarum, virium, ac proprietatum indagatio. Quæ rẽs ei subiecta?

Quid Natura. CAP. I.

NATVRA *definitur principium motus & quietis rerum corporearum : seu caussa, vt moueatur vel quiescat, eodemq́ in statu aliquandiu permaneat id, cui inest primò, ac per se tanquam pars substãtiæ eius, non autem fortuitò, vel, vt vulgus loquitur, per accidẽs. Seu, vis illa rebus naturalibus diuinitus insita, quæ vel ad agendum, vel ad patiendũ habiles & aptas reddit. Hinc res naturalis dicitur corpus mobile natura, id est, huiusmodi principio præditum, atq́ ex materia & forma naturali constans. Dicuntur quædam secundùm naturam, vt ipsæ res naturales, & his ipsis per se congruentia, vt corpora omnia simplicia & concreta. Alia contra naturam, quæ sunt contraria, vt aqua calida, lapis sursum tendens. Alia præter naturam, quæ tametsi non sint secundùm naturam, tamen ei non sunt contraria, vt lapis vel globus per terrã planam missus.*

Quid natura?

Quid res naturalis.

Quę secundùm naturam?

De principijs rerum naturalium. CAP. II.

RERVM *vniuersitatis vnicum principium est Deus, ipsius naturæ, (quæ cõmunis omnium parens dicitur, & corporibus ex materia & forma coagmentatis inest) creator; qui mundum vniuersum & quicquid eo continetur, simul ante omnia tempora ex nihilo condidit; quo nihil prius cogitari potest; qui materiam & formam rerum omnium solus æterno Verbo suo ac sacro spiritu omnia fouente creauit. Tria principia statuit Aristoteles; materiam, formam, & huic oppositam priuationem. qui principia definit ea, quæ neque ex se mutuo, neque ex alijs fiunt; sed ex quibus cetera fieri necesse est. Materia cum mundo nata non nisi illo dissoluto peritura est. atque ea duplex est, Prima & secunda:*

Deus, rerum omnium prima efficiens caussa & finis. Dei instrumentum atque administra est natura.

Tria principia Aristot.

Materia.

da: sed prima tantùm, non etiam secunda principium dicitur: illa remota est, hæc propinqua. Materia prima simplex est & informe quidem chaos, sed omnis tamen formæ capax. ea definitur, subiectum, in quo cuncta generari primúm, & in quod omnia dissoluta postremò redire intelligimus. Hæc nihilo similis, & pura facultas est, quæ cogitatione tantūmodo percipitur; vt receptaculum sit formarū omnium, quas viciſsim varijs mutationibus interuenientibus habere poſsit, quarū varietate gaudere creditur. Secunda materia, propria cuiusq; corporis est, quæ suam habet formam, estq; corporea et subiecta sensibus, ex illa simplici constans: qualia sunt elementa, quæ concretorum corporum omnium materia dicuntur. Nam cùm Deus initio naturam creaſset, vt ipsa deinde esset rerum omnium creatrix; ingentem illam materiæ molē formæ vestire cœperunt, ignis, aër, aqua & terra; quibus illa formis induta iam adspectabilis efficitur, & manu tractabilis. Summus enim calor accedens materiæ facit, vt ignis elementum existat; eodémq; modo reliqua ceteris accedentibus, ex illis quatuor primis qualitatibus, elementorum cauſsis. Porrò materia in has quatuor naturas compacta, tum demū eam facultatem nanciscitur, vt reliqua omnia corpora procreare poſsit, & mundum ea, quam spectamus, varietate distinguere. Etenim illa elementa, cùm inter se commisceri consueuerint, quot proportionum temperationibus ipsa in vnam naturā coagmentari poſsunt, tot item poſsunt rerum species existere, & hoc pulcerrimum mundi theatrum exornare, vt eleganter M. Antonius Flaminius scribit. Atq; hæc omnia, quoniam ex illis quatuor corporibus simpliciſsimis constant, in

Materia prima, seu remota.

Materia secunda, seu propinqua.

Materia prima formis elementorum vestita cernitur.

eadem ipsa postremò diuiduntur. Forma quoque duplex cōstituitur, naturalis et fortuita seu accidentalis: quæ cōiuncta materiæ certam speciem efficit; ex qua nomen imponitur: sed hic tantùm de naturali dicendū est. quæ definiri potest, perfectio rei naturalis, quæ dat huic et essentiam atque agendi facultatem, & nomen, hoc est, vt vulgò dicitur, quæ dat esse rei, seu per quam res est: vt animantis forma est, quæ naturam eius exprimit, forma stirpis, metalli, aliarumq́ue rerum, quæ vim ac naturam earum declarat. Ab hominis forma dicitur homo, à pyri forma pyrus, aliæq́ue res naturales à forma speciem ac figuram, & hinc nomen actionisq́ue principium habent. Formæ contrariam priuationem Aristoteles tertium voluit esse rerum naturalium principium, quæ nihil aliud est, quàm absentia formæ à subiecto, quod aptum est ad eam recipiendam. Verùm hæc propriè dici principium non potest; sed occasio quædam rerum generandarum, et caussa, sine qua generari nō posse videatur illa materiæ habilitas à priuatione profecta ad aliam formam recipiēdam: cui venienti cedit priuatio. Tria autē esse, nec plura, nec pauciora naturalium rerum principia probat Aristoteles, materiam ad patiendum seu accipiendum subiectam, et duo contraria ad agendum, formam & priuationem, quæ ratione quidē duo, numero tamen vnum accipienda sunt. Ac materia quidem & forma non tantùm initia sunt constituendi corpora, verùm etiam corpori coniunctæ partes.

Forma. Distat forma naturalis ab artificiosa, quòd ea quæ conficiuntur arte, ratione materiæ tantùm non formę dicātur corpora. Nam forma naturalis vires animi exprimit: artificiosa vsum, vt gladius ad percutiendū comparatus.

Priuatio.

Priuatio est illa subiecti habilitas ad formam recipiendam.

Tria principia Aristoteli.

De caussis. CAP. III.

QVONIAM *de vnico & vero principio dictum est, & de rerum naturalium communibus caussis duabus,*

bus, materia prima & forma, quæ principia quoq; philosophi nominarunt; nunc de cuiusque corporis peculiaribus caußis, interioribus duabus materia secunda, & forma; totidémque externis, efficiente, & fine, paucis explicandū est. Caussa dicitur, cuius vi sequitur aliud. Caussa.
Caussæ autem (siue naturales, siue artificiosæ) quatuor sunt, ex qua, per quam, à qua, & propter quam aliquid efficitur: quæ appellantur vulgò, materialis, formalis, efficiens, et finalis. Materialis est, ex qua res fit, et simul rei inest. Formalis, quæ dat nomen rei, cui inest. Efficiens, est primū mutationis externum principium. Efficiens duplex est: prima & infinita Deus omnipotens: altera secunda & finita, vt Natura, quæ materiam & formā complectitur, proxima ac propria rei iam effectæ caussa. Efficientibus caußis inter ceteras adduntur ab Aristotele fortuitæ duæ, Casus et fortuna: quòd multa fiant nec neceßariò, nec semper, nec sæpe, nec euidēti caussa antecedente. Casui tribuitur, si quis domum præteriens tegula de tecto decidente occiditur: fortunæ, si quis aurum quæsitum inuenerit. Nam hoc per electionem fit, illud non fit. Sed nihil temere aut fortuitu fieri in rerum natura, satis probatum est cùm ab alijs, tum à D. Augustino lib. v. de Ciuitate Dei; qui pro fortuna ac fato substitui iubet dei voluntatem seu prouidentiam, lib. i. Ad naturam vel Deum potiùs, qui cuncta solus efficit, à quo vis omnis est naturæ, debent referri, quæ vi sua efficiunt; itemq; ea quæ Philosophorum disputationibus variè tractata sunt, fatum et prouidentia. Inter efficientes caussas annumerantur & ars, & voluntas. Finalis caussa dicitur, cuius gratia fit aliquid aut natura aut arte: Sed ipsi naturæ idem est & finis & forma,

Caussæ quatuor.

Natura, dei potestas.

Fortuna, dei voluntas, seu prouidentia dici debet.

& forma, cùm omnia formæ gratia moliatur. Caußis quatuor etiam effectus totidem respondent. De vtrisq; plura dicta sunt in Dialecticis. Caussarum aliæ sunt generales, aliæ speciales. Sunt & aliæ propinquæ, aliæ remotæ. Præterea sunt aliæ per se, aliæ ex accidente. Tum aliæ vi ac facultate sunt, aliæ reipsa: quarum illæ non agunt, sed agere possunt, hæ verò agunt. Eadem & in euenta conueniunt.

Effectus quatuor, qui oriuntur ex caussis.

De motu & quiete. CAP. IIII.

PRINCIPIA *necessariò consequuntur, motus, &, sine quibus motus peragi non potest, tempus, & locus, ad quem inane seu vacuum referemus. Quicquid enim fit, id in tempore fieri, omniaq; corpora aliquo in loco collocari, eáque dum fiunt & durant, tempore aliquo transigi necesse est. Motus est eius, quod moueri potest, agitatio, qua res mutationẽ aliquam accipit. Eam agitationem Græci* ἐνδελέχειαν *vocant. Motus quieti contrarius est. ille enim ex subiecti mutatione fit, hæc verò constantia est & perfectio. Contraria item sunt, quiescere, & aliquo motu cieri. Motus autem cietur & à mouente, & ab ea re, quæ mouetur. nam vtriusq; agitatio & agentis & patientis seu accipientis appellatur motus. Omnis porrò motus aut naturalis est, aut violentus, aut animalis, aut voluntarius. Naturalis est, qui in subiecto spõte naturæ fit, vt ortus, interitus, alteratio, acceßio, deceßio, motus leuium sursum, grauium deorsum. Violentus est, qui fit repugnãte natura, vt lapidis in altum proiecti. Animalis, qui ab interiore mouendi principio oritur, vt animantium motus. Voluntarius, qui ab homine spontè fit. Sed ex his motuum generibus ij solùm à physico spectantur, qui vel à natura vel*

Motus.

Quies.

Varij sunt motus.

vel ab animo educuntur. Omnis quoque motus continuus esse debet, nulla tēporis mora interruptus. nam si quid spatij sit interiectum, iam non vnus motus, sed plures erunt. Praeterea motus omnis vel rectus est, vel orbicus, vel mistus: recto ferūtur leuia sursum, graua deorsum: orbico cælestia corpora: misto animantia. Motus genera sex pro diuersis rerum mutationibus constituuntur, ortus, interitus, immutatio seu alteratio, accretio, diminutio, loci mutatio. Ortus seu generatio est motus ad nouam formam. Interitus, quæ vulgò corruptio dicitur, est eius formæ, quæ prius in materia inerat, amißio. Et vnius interitus & alterius generatio fit eadem permanente materia. Acceßio seu incrementum est motus ad perfectam magnitudinem. Deceßio est de perfecta diminutio. Immutatio seu alteratio est prioris qualitatis in aliam mutatio. Loci mutatio est ex vno loco in aliū progreßio. In omni autem motu quinque spectari solent, quæ illum cōsequuntur; mouens, res subiecta motui, terminus vnde fieri motus incipit, & is in quem tendit, postremò tempus quo peragitur. Motui contraria, quies est rei, quæ moueri iam desiit, & moueri tamen posset, in adepta iam forma permansio. Motui enim desinenti succedit quies. Quare cùm sex motus genera sint, totidem erunt & quietis. vt generationis quies est adepta iam forma; interitus priuatio; diminutionis deceßio rei; incrementi acceßio; alterationis qualitas aliqua mutationis, loci mansio in loco. Ortus & interitus ad substantiam referuntur; accretio & diminutio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad locum.

Vide tabulam quantitatis in dialecticis.

Sex species motus.

Vnius corruptio est generatio alterius.

In motu quinque spectantur.

Quies.

De infinito & loco, & de inani seu vacuo.

CAP. V.

Finitum. Infinitum.

FINITVM *dicitur quod sensu percipi, atque comprehendi potest, vt totius mundi corpora. Infinitum, cuius magnitudo nec dimensione nec numero comprehenditur. Vel, vt Aristoteles ait; cuius aliquid semper est extrà: id est, in quo semper aliud potest accipi, quantumcunque eius acceptum sit. Id in rerum natura nullũ est, cùm nihil, quod concretum est, infinitum esse posit. Solus Deus infinitus est, immensus, æternus, cælum & terram implens, omniáque infinita intelligentia permeans. De loco. Res omnes et sensiles et insensiles, excepto Deo, loco aliquo concluduntur. Est autem locus extremitas seu capacitas quædam aëris, quæ rem locatam siue in loco aliquo sitam sic ambit, vt ad eius, quod contingit, corporis figuram & magnitudinem sese accommodet: quomodo quod in aquam conijcitur, siue rotundum, siue angulatum sit, ab ea vndique concluditur, ne vacuus locus vsquam relinquatur. Loci differentiæ sunt sursum, deorsum (quatenus hæc vt collata spectentur) antè, ponè, ad dextram, ad sinistram. Locus duplex est, vnus communis omnium, vt aër toti terræ & aquæ globo circumfusus: alter cuiusque rei proprius, & eam proximè ambiens, vt vas liquorem continens ab aëre includitur. Est aliud loci discrimen quo distinguitur in naturalem & violentum. Naturalis est, quo singula sua sponte continentur, vt in terris grauia, & in aëre leuia: violentus quo res illatæ detinentur, vt lapis in altum proiectus. Ad locum pertinet illa de inani seu vacuo disputatio. Vacuum definitur locus vacans corpore, sed ad id, si fuerit, recipiendum aptus. Epicurei & Demo-*

Locus est terminus corporis continentis.

Locus duplex, communis & proprius.

Locus aut naturalis aut violentus.

Vacuum.

& Democritici vacuum defendebant: quos Lucretius poëta secutus ait, Namque est in rebus inane. Sed illorum sententia multis argumentis est refutata: satísq; demonstratum, nihil esse in rerum natura vacuum. Nihil in rerum natura vacuum.

De tempore, & æternitate, & æuo. CAP. VI.

QVONIAM *tempus omnem motum metitur; quid sit tempus, videamus. Tempus definitur mensura seu numerus motus per prius et posterius. Quamuis autem magna sit inter motum & tempus cognatio, cùm & per motum tempus, et per tempus motus distinguatur; sunt hæc tamen diuersa: Nam interuallum motus aliud est, aliud ipse motus. Temporis id proprium est, reipsa partes suas simul habere continua quadam successione coniunctas, quæ tamen ratione præcedentis & sequentis interualli distinguuntur. Partes autem temporis pro cæli solisq; conuersione diuiduntur in annos, menses, dies, horas, momenta, &c. per quas partes reliquorum etiam siderum cursus numerātur. Differentiæ temporis tres, præteritum, instans, seu momentum, seu punctum temporis, & futurum. Vt per horas diem, ita mensem per dies, & annum per menses numeramus. Ex spatio tempus longum vel breue dicitur, non autem velox aut tardum, quæ propria sunt motus accidentia. Tempus ab æternitate distinguitur, quòd hæc propriè Deo mutationis omnis experti tribuitur, qui nec principium nec finem habet. tempus autem interuallū significat, quo res mutabiles incipiunt & desinūt. Aeuum dicitur eorū, quæ cœperunt quidē, sed desitura nō sunt, vt genij seu angeli, quibus æuum tribui solet. Falsò putauit Aristoteles æternū esse tempus, cùm religio Christiana, quæ sola veritatis magistra est, doceat Deum mundum*

Tempus.

Temporis partes.

Temporis differentiæ.

Instans est terminus, cum quo partes præteriti & futuri temporis copulantur.

Aeternitas.

Aeuum.

Christiana religio sola est veritatis magistra.

mundum simul cum tempore condidisse tum, cùm nec mundus erat nec tempus; sed æternitas; tempus verò iam condito mundo cœpisse. Ac de rerũ initijs, caussis, carúmque accidentibus hactenus.

De mundi ortu. CAP. VII.

DICTVM *est de principijs, et quæ necessariò principia cõsequuntur: nunc de ijs dicendum, quæ ex principijs oriuntur. quorum alia simplicia sunt, alia concreta. & quoniam de vniuerso mundo tractabimus; primùm illud videamus, quod olim solet quæri, Sit ne mundus æternus, an aliquo tempore ortus. Factum esse à Deo, sed ab æterno, & æternum fore Plato putat: Aristoteles conditum negat, & æternum esse rationibus quibusdam cõfirmare conatur. Sed eos aberrasse Christiani ex Geneseos libris cognouerunt, in quibus Moses scribit cælum & terram atque omnia his comprehensa à Deo cõdita esse, & in Euangelicis litteris D. Ioannes ait, omnia per ipsum facta, &c. Quod ipsum ratione quoque probari potest. Nam si corporeus est mundus, materiáq; & forma constat, cõpositum esse fatendum est: at à seipso condi non potuit, cùm nihil seipsum efficiat, ab alio igitur conditus est, nec ab æterno factus: cùm quicquid fit, id in aliqua temporis mutatione fieri sit necesse. Vt autem conditum esse mundum sacris litteris probatur; ita et interiturum, seu potiùs mutandum esse, dubium nõ est, referente D. Luca hæc Christi Domini nostri verba: Cælum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt.*

Sit ne mundus æternus.

Mundus à Deo conditus est.

Non esse mundũ æternum, etiam ratione probari potest.

De mundi natura & motu. CAP. VIII.

PHILOSOPHI *cælum quintam quandam esse naturam ab elementaria diuersam, formáq; præstantißima*

Quid Philosophis quinta natura?

tißima atq; æterna constare dixerunt. Sed ex Mose facilè intelligi potest, eandem esse omnium totius mundi partium naturam: qui cùm sine elementorum separatione statim initio cælum & terram à Deo condita esse dicat, his verbis significare videtur, omnia quæ tunc confusa fuerunt, in hunc pulcerrimum, quem videmus, ordinem, secretis suo loco partibus, ita distincta, vt quò quidque longiùs à terra sit remotum, eo puriore natura constet; & supra elementariam mundi regionem sint omnia purißima, nec vlli mutationi obnoxia. Philosophi quoque mundum vnum esse rectè probauerunt, eumq; finitum, & forma globosa præditum & motu orbico decurrentem, qui à se ipse inchoatus in sese redeat. Rotundum esse forma ipsa cæli declarat; & nauigationibus, stellarum motibus, solis & lunæ defectibus, &c. compertum est. Animatum esse mundum Plato & Aristoteles aiunt: negant Democritus & Epicurus. Probatur à Platone, quòd anima toti mundo circumfusa cuncta moueat, foueat, & tueatur: ab Aristotele, quòd sua sponte cælestes orbes incitentur, eorumq; vi regantur inferiora. Sed falsam esse eorum sententiam sacræ litteræ docent: ex quibus constat mundum vniuersum anima carere; nec eam requiri, cùm etiam minutißima quæq; Dei prouidentia regantur etiam passerculi. Moueri autem cælum & quidem perpetuo atq; æquabili cursu, qui nec intendi nec remitti poßit; & cũ eo cuncta elementa corripi (terra sola excepta, quæ non mouetur) certis argumentis confirmatum est. quanquam fuerunt, qui cælum stare, terrã verò moueri putarint: quorum sententiam falsam præsertim refutare non est necesse. Cælum porrò quoniam rotundum est,

Superiora sunt inferioribus puriora.

Vnus tantùm mundus, non plures, isque finitus & rotundus est.

Mundus non est animatus.

Matthæi cap. x.

Sola terra non mouetur.

orbico motu incitatur: quod & stellarum inerrantium conuersiones ostendunt: quæ si cælum staret; ipsæ quoque consisterent: & situs terrarũ perpetui, quæ Boreæ Austroq; sunt subiectæ, nunquam loco cedentes. Terrã autem immotam consistere in vniuersi medio quod centrum dicitur, quò grauia omnia tendunt; cùm sit ea grauißima, dubium non est. Hic enim proprius est eius locus; è quo si moueatur, in alienum cedat necesse est. Hæc sententia quoniam sacris litteris comprobatur, indubitata omnibus esse debet. Ait enim Ecclesiastes: Terra stat; oritur sol, & ad locum suum reuertitur; ibiq; nascens circuit per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Hunc motum veteres non putabant silentio posse peragi; sed excitari dulcißimum quendam sonum atque concentum. de quo Cicero in Somnio Scipionis. Sed hanc cæli harmoniam reijcit Aristoteles: & nos eam potius ad discordem illam orbium cælestium concordiam referendam arbitramur. Præterea cælum cùm in orbem feratur, nec graue nec leue dici potest: sed neque coloratum, cùm sit corpus simplex.

Terræ medium totius mundi centrum est.

An ex orbium celestium motu concentus musicus efficiatur.

De partibus mundi, & de cælo, CAP. IX.

MVNDVS *vniuersus duas in partes est distributus: quarum vna cælestis atque ætherea dicitur, & superior est; altera elementaria, quæ inferior. Cælum philosophi naturam igneam habere crediderunt, quòd lucidum esset, cùm lucidum nihil esse poßit, quod ignis omnino sit expers: ex quorum sententia definietur cælum substantia corporea, simplex, lucida, solida, æterna, perfecta, & in orbem mobilis. Ab his octo numerantur orbes, ita inter se cõnexi, vt minores atque inferiores vndique à maioribus includantur, vt vltima cælo*

Duæ mundi partes, ætherea & elementaria.

Quot sint orbes celestes.

Luna à Mercurio, & hic à Venere, Venus à Sole, Sol à Marte, Mars à Ioue, Iupiter à Saturno planetarum summo, & hic ab orbe octauo, quod proprie cælum dicitur, cui stellæ omnes inerrantes infixæ esse dicuntur. Atque hic orbis extimus olim creditus omnes intra se complectitur: in quorum infimo Luna decurrens vno mense lunari, id est, XXVII. *diebus & horis* VIII. *circuitum suum perficit. Proximè superiores Mercurius & Venus & Sol anno vertente: Mars duobus annis: Iupiter* XII. *Saturnus* XXX. *Plato & Aristoteles solem lunæ proximum locauerunt. Sed his in astrorum quidem scientia Ptolemæum longè anteponimus. Tot autem orbes constitui necesse fuit ob varios siderum motus: Cùm enim sit vnicus corporum simplicium motus: in cælo autem, quod simplex corpus est, plures per totam ætheream regionem fiant motus; collegerunt illos in vno orbe non posse fieri, sed in diuersis. Octauus orbis ἀπλανὴς, id est, inerrans dicitur, quòd eandem semper sui cursus rationem tenere videatur: qui secum omnes defert stellas cælo sereno conspicuas, præter septem errantes, quas Græci planetas vocant, non quòd errent aut incerto motu vagentur, sed quia dispares inter se cursus conficiant, alij tardiores, alij celeriores, propter inæquales epicyclorum, quos Astrologi fingunt, motus: qui sub octaua sphæra suis orbibus, vt vulgò creditur, affixi feruntur. Hinc duplex illis tribuitur motus, vnus communis à summo illo cæli motu incitatus circa axem mundi, quo singulis diebus omnes orbes ab ortu in occasum, & hinc porrò in ortum compulsi circumaguntur spatio* XXIIII. *horarum æqualium: quem etiam raptus motum vulgus appellat, intelligens*

Septem planetæ sub orbe stellifero.

Cur plures orbes constituantur.

Cur octauus orbis inerrans?

Cur dicti planetæ?

Summi orbis motus ab ortu in occasum concitatur: reliquorum in ortum enititur.

incitatißimum. Alter illi cõtrarius ſingulorum orbium proprius eſt; quo nitentes in aduerſum circum axem zodiaci obliquo curſu ab occaſu in exortum contendunt, & ſuis quiſque temporibus curſum abſoluunt. Atque hæc quidem eſt veterum ſententia. Sed recentiores ſupra cælum duos orbes conſtituendos cenſuerunt, nonum & decimum. Nonum Theologi cælum aqueum & cryſtallinum appellant; qui ſupra decimum etiam empyrium collocauerunt; vbi quieta ſit felicium animarum ſedes. Decimus orbis vulgò primum mobile vocatur. Cauſſa cur illi duos orbes addiderint, ea fuit; quòd longa obſeruatione animaduertiſſent octauam ſphæram triplici motu affici; vno communi omnium, quo feruntur ab exortu in occaſum, quem XXIIII. *horarum æqualium interuallo perfici diximus, qui decimi orbis eſt, à quo rapi videntur interiores omnes; & incitatißimo curſu contorqueri: altero qui nonæ ſphæræ proprius eſt, & decimo orbi contrarius, abſoluiturq́;* XLIX. *annorum millibus, ab occaſu in ortum nitens. quem circuitum Plato magnum annum appellat: qui ſpatium continet, quo ſidera omnia ad eum locum, vnde ſemel profecta ſunt, cuncta redierint. Sub hoc orbe nono Planetæ feruntur: cuius motu cælum centeſimo quoque anno, vt putatur, vno gradu ad ortum cedit: tertio autem proprio motu cietur, quem acceſſus & receſſus, aut trepidationis appellant: quo motu ſtellæ inerrantes ab Auſtro in Boream, & hinc in meridiẽ protrahuntur: qui perficitur ſeptem millium annorum ſpatio. Cùm autem conſtet cuiuſuis ſimplicis corporis vnicum eſſe motum: quod ſi pluribus agitetur motibus, vnum duntaxat proprium, alios eſſe fortuitos: præterea*

Olim octo, nunc decem orbes numerãtur.

Decimus orbis, vulgò primum mobile, ab ortu in occaſum decurrit.

Nonus orbis ab occaſu in ortum nititur.

Magnus annus Platonicus.

Cælum ſeu octauus orbis tribus motibus incitatur, primi orbis, & noni, & ſuo.

terea sphæram inferiorem à superiori, non contrà moueri: necesse putauerunt, supra cælum duos orbes collocare, vt cælum vnico tantum suo feratur motu, et duobus externis per vim circumagatur. Incitatissimus ac violentissimus est ille decimæ sphæræ seu mundi motus: cui quò viciniores alij sunt orbes, eò tardiùs proprio motu feruntur; et celeriùs ab illo primo rapiuntur; sed quò sunt inferiores, eò minùs vim sentiunt, & faciliùs ac velociùs proprium cursum absoluunt circum zodiaci axem ab occasu in ortum connitentes, quod in Lunæ motu celerrimo satis apparet De natura cæli Mosi potiùs quàm Philosophis credendum est: cuius hæc verba sunt: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Hic cælum, quod vocat firmamentum, quasi ex aquis à terra secretis in mundi ortu concretum adeoq; minimè simplex dicere videtur: vt eadem & cælo & terræ sit essentia, non diuersa, vt philosophi putauerunt: qui vt mundi æternitatem defenderent, cælum ex quinta quadam natura constare dixerunt. At hanc ipsam etiam non minùs quàm terram corruptioni obnoxiam, nec æternam esse, videntur hæc Esaiæ verba ostendere: Leuate in cælos oculos vestros, & videte sub terra deorsum, quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur. Vt igitur omissis philosophorum coniecturis verè definiamus, Cælum est substantia corporea ex natura quatuor elementorum concreta, sed forma tamen quàm cetera omnia longè præstantiore prædita, lucida, mobilis, & sicut vniuersa natura, corruptioni subiecta. Et quamuis cæli corpus multi solidum esse dixerint; tamen D. Basilius Magnus ex illis Esaiæ verbis paulò antè repe-

Cur supra cælū duo sint motus.

Decimi orbis incitatissima cōuersio est.

An eadem cæli & terræ sit essentia.

Cur ætherea regio dicta sit quinta quædam natura.

Vera cæli definitio.

Cur tenuis sit natura cęli.

titis colligit cælum tenuem habere substātiam, non solidam neque crassam. Quod ratione quoque confirmari potest. Nam si globi cælestes solidi essent; perpetui motus collisu incenderentur.

De orbium cælestium circulis, & de stellis.

CAP. X.

QVONIAM *initio quædam ab Astrologis de sphæra tradi solent; nos hîc eam breuiter cōplectemur, & circulos ei inscriptos referemus.*

Quid sphæra.

Definiri sphæra potest corpus solidum vna extremitate comprehensum, in cuius medio punctum est, quod centrum dicitur, à qua omnes ad extremum ambitum protractæ lineæ sunt æquales. Sphæra hæc mundi effigiem exprimit, circulisq́ue & stellis depicta necessarium est astrologiæ instrumentum. Ea duplex est; Recta, vbi vterque mundi polus horizontem seu finientem orbem attingit: qualis est sub æquinoctiali circulo. Obliqua est, in qua alter polus altero sublimior est: qualis in locis vltra citraq́ue circulum æquinoctialem: vbi sol & alia sidera obliquo motu adscendunt atque descendunt.

Sphæra recta.

Sphæra obliqua.

Poli, duæ sunt axis partes extremæ.

Poli seu vertices duo sunt (axis partes extremæ) quorum vnus arcticus siue Septentrionalis est; & nobis semper conspicuus; alter huic oppositus antarcticus siue Australis, nobis sub horizonte semper occultus. Inter vtrumque polum recta linea protracta per mediam mundi molem transmissa fingitur; quæ dicitur axis, circum quem vertitur mundus. Atque hi duo vertices præcipui sunt cæli cardines, Septentrio & meridies, totidemq́ue ad diuersa mundi latera ortus & occasus: súntque hæ quatuor mundi partes à cosmographis constitutæ. Præter hos mundi polos sunt item duo vertices axis Zodiaci distantes

Axis.

Poli mundi.

Poli zodiaci.

stantes à mundi verticibus partibus seu gradibus ferè XXIII. & semisse. Sunt & horizontis duo poli: quorum vnus velut è perpendiculo capitibus nostris imminere fingitur; alter sub terra pedibus nostris, sed antipodum capitibus. Sphæra circulos continet, quos in cælo fingunt Astrologi: quorum alios faciunt maiores, qui mundum in æquas partes diuidunt: alios minores, qui in partes inæquales mundum secant. Maiores numerantur septem, æquinoctialis circulus, zodiacus seu signifer, colurus æquinoctiorum verni & autumnalis, colurus solstitij & brumæ, meridianus, horizon seu finiens, & quem Græci addunt circulus lacteus. Minores quatuor sunt, tropicus Cancri, tropicus Capricorni, arcticus & antarcticus. Aequinoctialis, quem veteres æquidialem, teste Festo, nominarunt, Græci ἰσημερινὸν, circulus est, qui æquo spatio distat ab vtroque mundi polo: in quem cùm Sol inciderit, dies noctibus æquales in vniuerso orbe terrarum efficit. Zodiacus seu signifer orbis est, qui solus omnium circulorum, excepto lacteo, latitudinem graduum XII. habet, inter duos tropicos obliquo positu porrectus, & duobus in locis æquinoctialem interscindit. Zodiaci latitudinem linea ecliptica mediam secat, quæ via solis est, quam ille nunquam deserit; cùm reliqui planetæ vltro citroq́ue sæpius excurrant. Dicta est ecliptica, quòd sole & luna sub ea vel coniunctis vel oppositis, idq́ue in capite vel cauda draconis, vt vocant, fiat eclipsis vel solis vel lunæ. Defectus solis est, cùm densum lunæ corpus inter solem & adspectum nostrum interlunij tempore ponitur. Defectus lunæ, cùm in plenilunio terra inter solem & lunam ad rectam lineam interposita lunæ solis lumen aufert. De-

Poli horizontis.

Circuli alij maiores, alij minores.

Aequinoctialis circulus.

Zodiacus

Linea ecliptica.

Eclipsis Solis.

Eclipsis Lunæ.

fectio Solis ab occasu incipit, Lunæ ab ortu. Zodiaco signa duodecim inhærent, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces: quorum sex priora septentrionem spectant, reliqua meridiem. Per hæc signa Sol decurrens dierum & noctium tum longarum, tum breuium vicissitudinem, commutationesq; temporum quadripartitas efficit; in Ariete, Tauro, & Geminis ver: in Cancro, Leone, & Virgine æstatem: in Libra, Scorpio, et Sagittario autumnum: in Capricorno, Aquario, & Piscibus hiemem. Singula porrò signa in triginta partes diuiduntur, quæ duodecies collectæ gradus faciunt CCCLX. *quos singulis annis Sol percurrens totidem dies additis quinque diebus & vnius quadrante reddit, singulis diebus vnum ferè gradum permeans. Coluri, duo circuli sunt per mundi vertices ducti, quibus ille quatuor in partes diuiditur. Eorum vnus per Arietis et Libræ initia transiens æquinoctia demõstrat: alter per initia Cancri & Capricorni ductus solstitium & brumam indicat. Meridianus circulus est, qui per mundi polos & punctum in cælo verticibus nostris imminens (quod vulgò Zenith appellatur) & alterum huic aduersum (quod nadir peregrina voce dicitur) duos videlicet horizontis polos transit: in quem cùm Sol inciderit, supra nostrum hemisphærium meridiem nobis efficiet, infra, mediam noctem. Horizon, seu finiens circulus est, qui conspicuam mundi partem ab eo quæ non conspicitur, in omni terrarum tractu diuidit. Is duplex est: rectus in recta sphæra; obliquus in obliqua. Lacteus circulus solus omnium nocte sideribus illustri conspicuus est, & lacteo candore notabilis. Ex*

Duodecim signa zodiaci.

Ver. Aestas. Autumnus. Hiems.

Coluri duo.

Meridianus.

Meridies. Media nox. Horizon.

Lacteus circulus.

minoribus

minoribus circulis arcticus et antarcticus minimi sunt. Arcticus à Zodiaci polo in quotidiana mundi conuersione describi fingitur circum septentrionalem mundi polum, distans ab eo fere gradibus XXIII. & semisse. Huic exaduersum respondet antarcticus circum australem mundi verticem. Tropici duo eodem ab æquinoctiali circulo spatio distant, quo arctici à polis mundi: Tropicus Cancri ad Boream recedens, & Tropicus Capricorni ad Austrum: in illum Sol progressus solstitium efficit, in hunc digressus brumam: qui nunquam extra hos terminos egreditur. Quatuor his circulis quinque distinguuntur in cælo spatia, quæ Zonæ dicuntur; totidémque cælestibus illis in terra subiectæ plagæ describuntur: quarū media quæ duobus est comprehensa tropicis torrida vocatur; quam veteres propter æstum nimium non putauerunt esse habitabilem, sicuti nec frigidas duas polis mundi subiectas. quarum vna circulo arctico includitur, altera antarctico, gelu perpetuo rigentes: reliquæ duæ temperatæ nominantur: quarum vnam inter tropicum æstiuum & arcticum nos incolimus: altera verò interiecta est hiberno tropico & circulo antarctico. Atque hi quidem circuli omnes in extimi cæli planicie, quasi lineæ quædam ab astrologis excogitati sunt, et ad Solis, Lunæ, aliorumq́ syderum motus dignoscendos, & ad temporum vicissitudines distinguendas. Infra cælum octauum septem planetarum sphæræ voluuntur contrario motu atque mundus: variè autem planetæ moueri conspiciuntur, & modò in septentrionem, relicto circulo ecliptico, excurrere, modò in meridiem, aliàs celeriùs ire, aliàs tardiùs, interdum progredi, interdum regredi, non nunquam

Arcticus circulus.

Antarcticus.

Tropicus Cancri.

Tropicus capricorni.

Quinque zonæ in cælo itemque in terra.

Torrida zona.

Frigida zona arctica & antarctica.

Temperata zona dextra, & sinistra.

Vsus circulorū.

Planetarum motus varij.

Epicycli.

subsistere, nunc viciniores, nunc remotiores, idque propter epicyclos, id est, paruos circulos qui in magno cuiusque planetæ globo dicuntur infixi, ac per se etiam mouentur non minus quàm globus ipse, vt in libello de Sphæra breuiter ostendimus. Sed hæc in theoricis planetarum ab astrologis, quorum ea propria tractatio est, diligenter & copiosè explicantur. Nunc vt stellarum naturam, figuram, numerum, motum & situm breuiter perstringamus: Aristoteles ait stellas esse densiorem ac lucidiorem cæli partem, eásque esse quintæ cuiusdam naturæ, sicut ipsum cælum. Figuram stellarum, vt omnium mundi partium globosam esse consentiunt omnes. Stellæ omnes inerrãtes in vno cæli seu orbis octaui globo sunt infixæ: planetæ verò singuli suis globis. Mouentur autem siderum orbes, vt ille idem ait, à dæmonibus seu mentibus quibusdam, quas vnicuique sphæræ præsidere putat. Quamuis inerrantes stellæ sint innumerabiles; ex his tamen astrologi mille & viginti duas præcipuas magnitudine & colore differentes numerant: quibus varias etiam vires adscribunt, his caloris, illis frigoris, alijs humoris, alijs siccitatis vim tribuentes. Atque hæc quidem cùm ita sint & à philosophis & ab astrologis tradita; nunc quid religio nostra admittat, videamus. Vtiliter sanè ad rationem temporum astrologi excogitauerunt in extimo cælo circulos; quorum duo, Lacteus & Zodiacus, oculis etiam cernuntur: qui necessarios quoque epicyclos ad ostendendos planetarum cursus iudicauerunt: quos tamen non difficile fuerit physicis etiam rationibus labefactare. Quod attinet ad numerum, figuram, & multiplicem motum stellarum; nihil aliud certi adferri potest,

Quid stella.

Inerrantes stellę quę sunt innumerabiles, tamen ab astrologis plærçque numerantur.

Vtiliter excogitati circuli.

poteſt, quàm ſtellas innumeras eſſe; globoſus iudicari; quòd ea ſit mundi forma: moueri angelorum miniſterio, vt multi credunt, occulta hominibus ratione. Iam verò non eſſe tantam vim tribuendam ſideribus, quantam volunt aſtrologi, ſatis ex eo intelligi poteſt, quòd omnia conſilio ac prouidentia Dei, non ſtellarum gerantur. Quamuis enim aërem fortaßis & cetera corpora atque ipſorum etiam hominum aliqua ex parte ſidera poßint afficere; tamen ea non eſt ferenda temeritas, qua mathematici quidam geneſim cuiuſq; perſpicientes ex ſtellarum tanquã ipſis etiam animis hominum immortalibus dominantium vi atque virtute, ingenia, mores, atq; etiam euentus certo tempore futuros audent prædicere.

Omnia Dei prouidentia gubernantur nõ aſtrorum vi.

De elementaria regione. CAP. XI.

ELEMENTARIÆ *regionis, quæ tota vndique cæli ambitu includitur, partes quatuor ſunt, ignis, aër, aqua, & terra, quæ nominantur elementa. de quorum naturis, qualitatibus, locis, & formis deinceps dicendum eſt. Elementum eſt corpus ſimplex, in quod ſingula tandem, quæcunque ex his concreta ſunt, diſſoluuntur. Eſt enim minima cuiuſque rei concretæ pars illam ipſam conſtituens, eiq; inhærens. Ex quatuor elementis tria etiam oculis cernuntur, terra, aqua, & aër; ſed ignis, quia tenuißimus eſt, non venit ſub aſpectum. Atque hæc quidem corpora ex materia et forma, quæ corporis expertia principia ſunt, orta dicuntur ſimplicia; quòd ex ijs cetera conſtent omnia. quod fieri non poſſet; ſi ſint ipſa concreta. Non igitur alia conſtant concretione, quàm duobus illis initijs, quæ inter ſe connexa receptis qualitatibus formam ſequi ſolitis,*

Elementum.

Cur elementũ ignis non conſpiciatur.

Elementa ſunt corpora ſimplicia.

elementa

elementa procrearunt. Qualitates autem illæ sunt aut naturales, id est, simul cum essentia generatæ, vt calor in igne, frigus in aqua inhærentes: aut externæ seu extrinsecus adhærentes subiecto, vt calfactio in aqua. Ac superiorum quidem qualitatum genus ita sequi subiectam essentiam solet, vt quædam comitari materiam dicantur, vt magnitudo, grauitas, densitas: quædam verò formam, vt calor, frigus, & id genus aliæ. Naturales porrò qualitates dicuntur aut primæ aut secundæ: primæ sunt quatuor, calor, frigus, siccitas & humor, ex quibus tum elementa primùm constituuntur, tum reliqua etiam corpora mista. Secundæ verò primas in corporis concretione iam coagmentatas quasi vmbra sequuntur, vt mollities, asperitas, duritia, pondus, leuitas, aliaque non nullæ, quæ suo loco explicabuntur. Ex quatuor autem primarum qualitatum varia inter se mistione quatuor elementa singula binis qualitatibus ad hunc modum concreta sunt; vt calor siccitati coniunctus ignem effecerit: siccitati frigus terram: humor calori aërem: frigus humori aquam. Verùm ex his singula elementa singulas habent præcipuas qualitates, ex quibus ignis summè calidus est, aër humidus, aqua frigida, terra sicca. In illa verò mistura calor & frigus agendi vi prædita sunt, siccitas & humor patiendi. illa formam, hæc materiam comitantur. Suntque hæc quatuor inter se contraria, si comparentur extremis: consentiunt autem si media cum medijs. Extrema sunt calor & frigus inter se collata, itémque siccitas & humor: media verò humor calori vel frigori comparatus, aut siccitas eorundem alterutri. Ad rerum igitur generationem aptæ sunt qualitates mediæ; extremæ verò ad dissolu-

Qualitates primæ.

Qualitates secundæ.

Vnde sint elementa.

Qualitates extremæ.

Qualitates mediæ.

æ, dissolutionem, interitum, aliósque motus. Pugnantium enim inter se conflictu subiectum variè mutari necesse est. Secundarum etiam qualitatum aliæ alias primarum sequuntur, vt humorem mollities, calorem leuitas, frigus grauitas, hebetudo, &c. Ex illis autem qualitatibus quatuor ita conflata sunt elementa, vt eorum vnumquodque duabus constet, vna media, altera extrema: quarum media coniungit vnum elementum cum altero proximè sibi subiecto, extrema disiungit: velut ignem, qui calidus & siccus est, ab aëre siccitas disiungit, sed calor cum illo coniungit: aërem cum aqua coniungit humor, separat calor; aqua cum terra de frigore conuenit, humore ab hac illa dissentit, terræ cum igne de siccitate conuenit, frigore vtrumque dissentit. Ex elementis quædam vtraque dissentiunt qualitate, vt ignis & aqua, vt aër & terra. Quatuor autem esse elementa nec plura nec pauciora superioribus rationibus comprobatum est, & consentiunt omnes; nisi quòd Laurentius Valla minuere hunc numerum conatur, & alius quidam nondum satis notus augere. Figura omnium elementorum vt ipsius mundi globosa est: nisi quòd ex aqua terras interfluente ac multis locis ambiente, & ex ipsa terra globus vnus est coagmentatus, ita volente natura opifice Deo, vt locus esset animantibus terrenis. Motus elementorum naturalis est rectus: leuium, vt ignis & aëris, quæ sursum rectis lineis feruntur: grauium, vt aquæ & terræ, quæ deorsum. Nam quòd ignis & suprema aëris regio in orbem ferantur, id ex ætherea regionis vicinæ motu violento fit, quo cuncta sub extimo orbe mundi ab ortu in occasum rapiuntur. Vix autem vllum reperire

licet

Quomodo ex quatuor qualitatibus primis concreta sint elementa.

Quatuor sunt elementa, nec pauciora nec plura.

Figura elementorum.

Motus elementorum.

Nullum ferè elementũ purũ.

licet elementum ita purum, vt non sit alienis partibus admistus, infectum. Hinc videmus aërem vaporibus crassum, hinc aquam terrestri fæce turbidam. Quod haud dubiè factum esse ad animantium vtilitatem constat, quæ, cùm sint corpora mista, simplicibus nutriri non possent: quoniam nec alere terra si pura sit, nec item aqua posset, nec respirationi purus aër conueniret. Ceterùm quòd Aristotelem secuti docuerunt elementa inuicem in vicina mutari; non omnino quidem, sed aliqua tamen ex parte, & ex vna terræ particula extenuata fieri decem aqueas, centum aëreas, & igneas mille: itemq; contrà pro portione fieri descensum, veluti si vna pars ignis condensetur, fieri aëris partes decem, aquæ centum, terræ mille: video id quibusdam eruditis non probari: & certè non paruum discrimen est, verbi caussa, inter aërem elementum & vaporem: nec enim aër ipse ex se pluuiam generat, sed ex vapore, quæ summæ aquæ rarior quædam pars est et extenuata. Nec mutatur aqua in aërem elementum, sed in vaporem. Et vt cetera mutentur, certè an terra mutari posset in alia, non pauci dubitarunt. Illud quoque traditum est, aquam terra decuplo maiorem esse, aërem aqua, & ignem aëre. Et quoniam ex elementis constant corpora mista; quæri solet, an in illis ipsis corporibus re ipsa maneant elementa, an eorum tantùm qualitates? sed respondendum est, re ipsa ac forma sua non manere; id est, essentiam elementorum seu materiam & formam, sed facultate solum alienæ formæ corporis misti coniuncta. In corpore humano sanguis comparatur aëri, pituita aquæ, flaua bilis igni, atra terræ. quorum singula suorum elementorum qualitates habent.

Cur non sint elementa nobis pura.

An elementa inuicem in vicina mutentur.

An elementa re ipsa an eorum qualitates in sint in corporibus mistis.

tes habent. atq; ex his quatuor qualitatibus vna quædam existit corporis temperatio, quam soli Deo ac naturæ notam esse arbitror, cuius inuestigandæ labor medicos & philosophos fatigauerit. Quis enim homo scire poßit, aut certò affirmare audeat, quota sit ad corpus humanum coagmentandum opus portione caloris, frigoris, humoris, & siccitatis? Ac de communi quidem elementorum natura hactenus: deinceps de ordine, forma ac vi singulorum explicandum est.

Constitutio ac temperatio corporis humani soli Deo nota.

De igne. CAP. XII.

IGNIS (elementum maximè calidum & siccum) quia leuißimus est, & leuia sursum naturâ feruntur, sicut grauia deorsum, supremam regionem & Lunæ proximam tenet, suoq; globo sub orbe Lunæ, loco ad motum aptißimo, longè maior inferioribus elementis extenditur; qui sicut vndique includens amplectitur aërem, ita hîc aquam & terram. Non est hic ignis nostro similis, quo nihil est edacius, sed purus quidam feruor. qui nec cernitur, vt noster ignis, quia rarißimus est; nec alimento eget, cùm sit simplex, alijsq; rebus alimentum præbeat potius quàm accipiat. Noster verò imaginem duntaxat illius quandam refert, quòd calidus sit & siccus: qui tamen aëri et terræ ac ceteris qualitatum concretionibus craßioribus admistus humanis vsibus seruit. Ignis elementi figura sicut mundi totius, est rotunda, motuq; cæli correptus circumagitur vna cum proximo lunæ globo. qui tamen sua sponte sursum rectis lineis subuolans pyramidis formam refert: sed in motum cælestis regionis incidens in orbem retorquetur. Prodest huius elementi vis ad aquæ & terræ frigus in concretis corporibus temperandum; ad vitalem eorum

Ignis, est calidus & siccus.

Discrimen inter nostrum ignem, & ignis elementum, & cur noster non sit purus.

Figura elementi ignis.

Vtilitas ignis.

eorum quasi spiritum fouendum; ad coquendum, ad maturandum.

De aëre. CAP. XIII.

Aer, calidus & humidus.

PROXIMVS *& loco & leuitate igni est aër, moderatè calidus & humidus, tenuis & mobilis; qui sponte sursum, vt ignis fertur, sed minus violenter: & ab illo differt quòd humidus sit, minúsque calidus: ab aqua verò, quòd minùs ea sit humidus, & medius inter vtrumque elementum naturam temperatam obtineat. Implet autem omnem locum alio corpore vacuum: qui præter modum refrigerat agitatus, æstuat immotus, nocet inclusus.*

Aer in tres regiones diuiditur.

Totum aëris elementum diuiditur in partes tres; quarum suprema propter ignis cui contigua est vicinitatem & motum ætheriæ regionis calida est & sicca, cælique motum violentum sentit: infima verò, quæ terras & aquas ambit, modò calida est ob solis ad nos accessum, modò frigida ob illius à nobis discessum, modò humida propter exhalationes.

Ἀντιπερίστασις est, cùm contraria qualitas cõtrariam obsidet & inclusam premit, cuius ita obsessę vis intenditur.

Media, quoniam vtrinque frigus in eam violenter compellitur, ex antiperistasi seu circumsistente cohibitione & compreßione caloris circumfusi semper frigida est; quippe cùm frigus à calore supernè deprimatur, & infernè repercussu radiorum solis à terra propellatur. Frigidam esse cognoscitur ex ijs, quæ in ea generari videmus, et ex altißimorum montium verticibus perpetua niue conspersis: quòd huc à terra solis radij reflexi peruenire nequeant. In hac enim aëris media regione congregantur nubes, & pluuiæ gignuntur, et niues, aliæque res frigidæ.

Vtilitas aeris.

Necessariũ est aëris elementũ ad animalium respirationem, & mobilitatẽ corporis, ne torpescant; & ad cordis atque aliorũ membrorũ æstuantium feruorẽ tẽperandũ.

De

De aqua. CAP. XIIII.

AQVA aëri subiecta est, vndiq; terram sua natura, vt philosophi sentiunt, amplexa, elementum est humidum & maximè frigidum, tenue & diffluens, terra quidem tenuius, sed aëre crassius. Aër autem & leuior est aqua & liquidior. Aquam terra superiorem ac totam rotundam esse, vt omnia mundi corpora, ac cetera elementa rationibus alibi satis probatum est. Cur autem, cùm sit aqua mobilis, & fluxa, non egressa terminos in terras sese effundat, quæsitum est: ego omissis aliorum argumentis, quæ & à physicis & à geographis afferuntur, hunc situm aquarum Dei opificis voluntati & imperio tribuendum censeo. qui vt omnia ex nihilo facere, ita & maris aquas certis concludere terminis ad animantium terrestrium salutem verbo solo potuit: vt iam dicendum sit, naturali non violento loco versari Oceanum omnium aquarum receptaculum. quod cùm ex Genesi perspicuũ est, tum his Solomonis verbis comprobatur; Quando circundabat mari terminũ suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Omnia maria, præter Caspium, ex Oceano fluunt. Diligentes naturæ inuestigatores, in Oceano duos motus obseruarunt: vnum, quo continenter ab Oriente in Occidentem fluit; alterum, quo sex horarum spatio crescit Oceanus, totidémque decrescit, Britannis & Belgis maritimis satis notum. Vtilis est aqua concretis corporibus ad emolliendum & conglutinandum, atq; ad ignis aërisque calorem frigore temperandum.

Aqua est frigida & humida.

Aqua terræ elemento superior est & rotunda.

Cur aqua certis terminis cõclusa.

Oceanus omnium aquarum est receptaculũ.

Duplex Oceani motus.

Vtilitas aquæ.

De terra. CAP. XV.

VLTIMVM locum terra possidet, elementum maximè siccum & frigidum, densum & graue, atque immobile.

Terra, frigida & sicca.

immobile. quod densitate quidem à ceteris omnibus elementis distat; siccitate verò cum igne, at frigore cum aqua consentit. Ea nisi permultum humoris admistum haberet, quo solidatur, multúmque caloris quo fouetur, & aëris quo perflatur, animantibus alimentum ministrare non posset. In vniuersi medio sitam esse terram immotam, &, vt Solomon ait, in æternũ stare, vel, vt propriè dicam, pendêre, et aquis alibi interfluentibus, alibi cingentibus inferiorem, atque earum quasi receptaculum, totiusq́ue mundi centrum amplexam, ad quod naturâ fertur, eoq́ue cùm peruenerit, conquiescens moueri desinit; ne si aliò moueatur, iam contra suam naturam, vt diximus, è loco suo videatur excedere, consentiunt philosophi: ac rotundam esse tum ab his, tum à mathematicis satis est probatum. Vis huius elementi in corporibus concretis humorem aquæ siccitate sua temperat, vt durabiliora fiant corpora.

Cur terra non sit purum elementum.

Terra totius mundi centrũ.

Vtilitas terræ.

De communi elementorum natura, & commutatione, & viribus. CAP. XVI.

PROPRIVM *est elementorum, in perpetua mutatione versari. Cùm enim id quod agit, eo, quod accipit ac patitur, sit violentius, si vel calor vel siccitas aliáue eiusmodi qualitas in elementorum aliquo præualeat, id in aliud mutatur. Hinc fit, vt aqua conuertatur in aërem; quòd calor illam separarit, & humorem in flatus dissoluerit. Atque hoc quidem modo perpetua fit rerum generatio & interitus, ne destituta suis viribus natura agere desinat. Mutationem autem fieri elemẽtorum intellige, non omnino, sed ex parte, in corporibus concretis, eámque omnibus elementis esse communem. Nemo verò putet elementa ipsa talia esse, qualia*

Vnde generatio & interitus.

qualia sunt hæc quæ videmus, cùm illa pura sint ac sincera. Quòd si pura esset aqua, nec gustari nec colorata videri posset, nec odore percipi: tum nec aërita densus esset, vt sub adspectum veniret; nec ita aut ruberet aut luceret ignis. Verùm enimuero vtiliter, vt etiam suprà dictum est, ad salutem animantium sic omnia diuino consilio inter se permista sunt, vt ne desit alimentum. Sed ea tamen sic intellige mista, ne concreta putes, sed quasi contagionis aliquid ab alijs habentia. Veluti terra perfusa humore solidatur, & per occultos quosdam meatus aëre perflatur: aqua calore non nullo concepto fit liquidior, & alendis aquatilibus accommodatior: aër vaporibus & siderum calore perfusus densatur, magisq; flabilis redditur: ignis etiam terrenæ & aëriæ concretionis multum habere videtur, præsertim is, quo nos hic vtimur; cùm & rubens & fumidus ac densus appareat. Nec verò terra fructum vllum ferre posset, nisi perfunderetur aquis, aëre & calore foueretur: nec aliter aqua pisces procreat & alit: nec aliter aër volucres sustentat, & cuncta recreat animantia. Cùm ex elementorum qualitatibus omnia composita sint corpora; perspicuum est, elementa esse quasi quædam horum semina, quibus inter se quadam naturæ proportione coniunctis corpora coagmentantur; dissipatis verò in illa ipsa dissoluuntur.

Elementa, quæ videmus, pura non sunt.

Elementa mista sic dicuntur, vt ne tamē concreta habeantur.

Terra pura sterilis est.

De communi rerum concretione, de ortu, interitu, accretione, diminutione & alteratione.

CAP. XVII.

CONCRETIO *naturalis (de hac enim tantùm loquimur) est coagmentatio quædam è quatuor ele-*

mentorum qualitatibus commodè præparatis composita. Huic contraria est elementorum dißipatio, cùm singulæ elementorum particulæ dissoluto subiecto in suam redeunt naturam. Non fit autem sine motu concretio.

Motui subiectæ species.

Motui subijciuntur ortus, interitus, accretio, diminutio, & alteratio. Ortus seu generatio; est motus seu progressus ab vna essentia ad aliam recens acceptam. Ea consecuta cessat generatio, succedente quiete. Generatio porrò siue ortus vnius rei est interitus seu pernities alterius. Nam veniente noua forma, pereat ea, quæ priùs fuerat in subiecto, necesse est. Atque vt ex vnius generatione fit interitus alterius: ita ex huius interitu fit illius generatio, ne forma destituatur subiectum. Generatio motus est ad formam, interitus verò ad priuationem. Est enim generationi contrarius interitus, quæ definiri potest, essentiæ prioris in eodem subiecto amißio. Veluti si ex homine mortuo forma, id est, animus excesserit, mox cadaueris forma succedit. Atque hæ quidem duæ motus species ad integram subiecti vel concretionem vel interitum ac dißipationem pertinent: sunt aliæ, quæ non ad essentiæ, sed accidentium subiecti iam misti mutationem referuntur, vt incrementum & diminutio, quibus magnitudo mutatur; & alteratio, qua mutatur qualitas.

Generatio.

Cur vnius generatio fit alterius interitus.

Accretio.

Accretio seu incrementum, seu accessio, dicitur motus à minori magnitudine ad maiorem adipiscendam: veluti cùm puer ad virilem ætatem adolescit; & ex surculo fit arbor; & ex catulo canis. Proprium est incrementi, singulas corporis cuiusque partes ad perfectam & destinatam illi à natura magnitudinem perducere, in qua deinde conquiescat. Velut homo cùm adolescit; caput, pectus, manus,

nus, pedes, ceteraq́; membra paullatim crescere necesse est, vt partibus adauctis magnitudo totius corporis augescat. Incremento seu accessioni contraria est diminutio, id est, partium, quæ necessariam sunt adeptæ magnitudinem, decessio: qua tantùm magnitudo manente subiecto mutatur. alioqui interitus potius existeret, quàm diminutio. Alteratio est motus, per quem eodem subiecto manente qualitas vna sensilis in aliam item sensibus subiectam mutatur. Veluti si corpus ablato candore nigrum, expulso frigore calidum, profligato morbo sanum reddatur. Distant inter se quinque illæ motus formæ, quòd ortus & interitus ad rei substantiam referantur: accessio et decessio ad magnitudinem; alteratio ad qualitatem.

Diminutio.

Alteratio.

De communibus elementorum qualitatibus, earumq́ue vi ac mistura, qua res omnes coagmentantur, CAP. XVIII.

QVATVOR *sunt primæ qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas: ex quibus elementa, vt diximus, aliæque res omnes componuntur. Earum vires sunt diuersæ. Caloris est fouere & calfacere, & ea quæ sunt eiusdem naturæ coniungere; quæ verò diuersæ, disiungere; itémque extenuare, rarefacere, dissoluere, aperire, siccare. Frigoris est constringere ac densare, tam ea quæ sunt eiusdem quàm quæ diuersæ naturæ; refrigerare, obstruere, stupefacere, grauare. Humoris est, diffluere, humectare, mollire, alere, conglutinare. Siccitatis est, indurare, siccare, retinere. Has autem primas qualitates aliæ secundæ consequuntur, vt grauitas, leuitas, durities, mollities, raritas, dēsitas, asperitas, læuitas, ariditas, tenuitas, crassitudo. Graue dicitur, quod*

Vires caloris.

Frigoris.

Humoris.

Siccitatis.

Secundæ qualitates.

Graue.

deorsum fertur ad terræ centrum; vel quod difficulter atq; ægrè loco mouetur. Leue. *Leue, quod sursum tendit, & facilè mouetur.* Durum. *Durum, quod difficulter tactui cedit.* Molle. *Molle, quod facilè: cui lubricum additur.* Rarum. *Rarum est, quod partes suas inter se non ita propè cohærentes habet, vt aqua.* Densum. *Densum, quod compactas, vt lapis.* Asperum. *Asperũ est, quod dum cõtrectatur, tactionem offendit, vt rudis pumex.* Læue. *Læue, quod non est tactu asperum, vt res planæ & politæ.* Aridum. *Aridum, quod perexiguo constat humore, vt arena.* Subtile. *Subtile, quod est tenue, vt in aëre flatus.* Crassum. *Crassum, quod solidius est, vt terra. Atque hæ quidem secundæ qualitates ita primas comitantur, vt ab his ipsæ nascantur: veluti à calore leuitas, subtilitas, raritas: ab humore mollities: à siccitate asperitas, durities, ariditas: à frigore densitas, grauitas, crassitudo. Nihil autem, vt antè etiam indicauimus, ex elementis effici possit; nisi congruens & apta qualitatum proportio sit, qua facilè misceantur elementa atque coalescant.* Quæ facilè cohæreant, quæ repugnent. *Vt enim facilè cohærent calor & humor, aut frigus & humor: siccitas, & calor: frigus & siccitas: ita repugnant inter se calor & frigus, humor & siccitas, quæ sunt non concretionis, sed mutationis ac dissipationis caussæ. Deus igitur omnium rerum atque ipsius naturæ conditor est, à quo vim agendi natura accepit, quæ materiam præparat, & aptam qualitatum, quæ rei formam necessariò consequuntur, conuenientiam adhibet; atque ita rerum omnium essentias procreat.* Deus omnium procreator. *Quamuis autem mundus finem aliquando sit habiturus; hæc tamen interea rerum generatio & huic contrarius interitus nunquam intermittetur, vt nunc etiam videre licet.*

De

De Meteoris, & communibus eorũ caussis.

CAP. XIX.

MISTORVM *corporum genera sunt quatuor; meteora, fossilia, stirpes & animantia. Corpus omne aut simplex est, aut concretum: simplex, quod materia & forma ac duabus tantùm qualitatibus constat, vt elementa: concretum, quod præter materiam & formã plures duabus habet qualitates, vt reliqua corpora omnia exceptis elementis. Concreta porrò corpora vel perfectæ concretionis sunt, vel imperfectæ. Perfecta sunt, quæ naturæ suæ partibus omnibus absoluta sunt, vt animalia, stirpes, metalla & lapides. Imperfecta, quæ ex paucioribus constant, vt ea quæ Græcè meteora dicuntur, vulgò mista imperfecta, quòd facilè ac subitò gignantur, aut omnino pereant, aut liquantur, aut in elementa, vnde nata sunt, resoluantur. Meteoron, inquit Aristoteles, appellatur id omne, quod à quatuor elementis in sublimi regione gignitur, siue id in aëre hæreat, siue in terras decidat: dummodo id vi cælesti excitetur: qualia sunt fulgura, tonitrua, pluuiæ, & cetera quæ suis locis explicabuntur. Meteororum seu rerum sublimium efficiens caussa est cælum, præcipua verò vis solis. Materia, exhalatio ex terris & aquis vel humida vel sicca, & calida. Duplex enim est ἀναθυμίασις, quæ nunc ferè communi nomine dicitur exhalatio, id quod vi solis ac cæli tanquam fumus excitatus in aërem attollitur: vna craßior, quæ humida est & calida: qualis ex locis humentibus exspiratur, aquosorum & aëreorum atque terrestrium meteororum materia. Altera tenuior, quæ sicca & calida est: qualis ex locis arentibus in summo æstu solis excitatur, igneorum ma-*

Perfecta constant ex quatuor elementis. Imperfecta, quibus qualitatũ 4. aliqua deest.

Meteora dicuntur, vel quòd in sublimi fiant, vel quod admiratione suspensos hominum animos teneant.

Caussæ meteororum.

Materia meteororum exhalatio est, vel crassior atque humidior, vel tenuior & siccior.

teria. Prior Græcis ἀτμὶς dicitur, vulgò vapor, ad mediam aëris regionem euecta: altera καπνός, id est, fumus, vulgò exhalatio, quæ in supremam regionem euolat. Locus in quo meteora gignuntur, aut in aëre est, aut in terris. Horum præcipua sunt genera quatuor, quæ ex duarum exhalationum, quas modò diximus, alterutra gignuntur: ad quæ variæ formæ referuntur.

Quatuor sunt meteororum genera.

Ignea duplicia sunt, vera & apparentia.

Primum genus est igneorum, alterum aëreorum, tertium aqueorum, quartum terrestrium seu fossilium. Atque igneorum quædam reuera existunt, vt virgæ, æges, doci, faces, stellæ transuolantes, castores, fulgura, fulmina, cometæ: alia tantum modò apparent, vt chasma seu hiatus, colores nubium, iris, halos seu corona seu circulus siderum, & parelia.

Aërea.

Ad aëreorum genus pertinent ventorum ortus, terræ motus, ecnephias, typhon, præster, et tonitru.

Aquea.

Ad aqueorum verò, pluuia, nix, ros, pruina, grando, nebula, fontium, fluminum et maris origo.

Terrea.

Postremò ad terreorum, quæcunque è terris effodiuntur, vt metalla, lapides, terræ quædam pretiosæ, aliorúmque fossilium variæ species; quæ quoniam omnes ex materia exhalationum gignuntur, huc etiã referendæ videntur.

Vtilitas meteororum.

Finis meteororum est, vt absumãtur exhalationes putrescentes ac venenatæ, ne corruptus aër animantibus noceat: tum vt terra ventis recreetur, & imbribus irrigata fæcundior efficiatur.

De Meteoris igneis. CAP. XX.

IGNEORVM omnium vna eademq; materia est exhalatio calida & sicca; quæ propter tenuitatem ac leuitatem si calidissima sit, in supremam aëris regionem penetrans, ibi ab igne, sole, & motus celeritate incenditur, vt cometæ, capræ, trabes: si minùs calida,

propè

prope terram inflammatur, vt stellæ castores: vel in suprema infimæ regionis parte, vt stellæ transuolantes: si calidior, ad mediam regionem euehitur, vnde fiunt fulmina, virgæ ardentes & cet. Variæ autem sunt formæ ex diuersa exhalationis in äerem pertractæ situ ac figura & copia. Sunt enim alijs aliæ plus aut minus incensæ, itemque aliæ diuturniores alijs, & vel concitatiores vel remissiores. VIRGÆ, *quas Aristoteles* **Virgæ.**
ῥάβδους appellat, sunt raræ quædam inter se distantes ac latè diffusæ. longèq; serpentes flammæ, tanquam stipulæ quædam incensæ, vnde & stipulas quidam appellarunt. AEGES *seu capræ, sunt globi quidam* **Aeges, capræ.**
ignei, qui dum paullatim inflammãtur, initio ferè globosi, pòst in longum progrediente flamma protenduntur. DOCI, *id est, trabes, sunt latæ quædam & in* **Doci, trabes.**
longum æqualiter porrectæ flammæ. FAX *seu lam-* **Fax.**
pas dicitur flamma, lampadis formam referens, quæ nisi cùm in terras cadit, antè non conspicitur. Eius duas formas Plinius facit lib. II. *cap.* XXVI. *quem vide. Seneca fulgurum nomine vträque complectitur.* HIS ARISTOTELES ADDIT LVCERNAM, **Lucerna.**
quæ superiore quidem parte veluti candela quædam incensa videtur, non autem inferiore: quòd eius materiam desuper ignis attingens paullatim serpendo consumat, donec ea tota sit inflammata. STELLÆ **Stellæ transuolantes.**
TRANSVOLANTES *à Seneca vocantur, quas Plinius stellarũ discursum appellat, quæ gignuntur, cùm exhalatio inflammata sursum nitens à nube deorsum repulsa distrahitur, ac decurrit, & cadere videtur.* HVC PERTINENT *illæ stellæ geminæ quas Plinius lib.* II. *cap.* XXXVII. *Castorem &* **Stellę castores.**

 Pollucem

Erraticus ignis. *Pollucem vocat. Vulgò fatuus & erraticus ignis dicitur, prope terras in aëre proximo hærens, è crassa & humida constans exhalatione, diutius perdurans: qui vento non nihil agitatus, cùm decliuiora loca petat, viatorem dicitur noctu sequentem ad aquas & valles in præcipitia ducere. In magnis tempestatibus nauium* Castor & Pollux. Helena. *antennis aliisue partibus tanquam stellæ quædam insidere cernuntur: quæ si geminæ sunt, prosperæ putantur: sin vnica sit, Helena vocatur & infelix creditur.*

De fulminibus, fulguribus, fulgetris, tonitribus. CAP. XXI.

Caussæ fulminum, & c. FVLMINVM, *fulgurum, seu fulgurationum eadem est generationis caussa. Cùm enim exhalatio calida & sicca & crassa simul cum vapore humido sursum elata mediam aëris regionem attigerit; si vapor in densam ac frigidam nubem loci frigore densatus vndique exhalationem illam cingat atque constringat; ipsa iam in angustum coacta locum, interiore calore reluctante, frigoriq́ue concludenti ac prementi resistente magis æstuat, excitatoq́ue spiritu tandem & natura vires assumente quærens exitum, magno ac terribili fragore (quem tonitrum appellamus) nubem perrumpit,* Tonitru. *& violenter exsiliens inflammatur: atque hinc ille subitus apparet splendor, qui fulgur dicitur. Exsiliens autem è nube flamma, si ad terras perferatur, fulmen appellatur, & fulgetrum si longiore tractu nitatur, vt ait Plinius.* Fulgur. Fulmen. Fulgetrum. *Finis horum flatuum igneorum est, exhalationum pestilentium consumptio. Nam pestilens plerumque ac fœtidum fulmen est, quoniam è crassa ac glutinosa* Vtilitas igneorum flatuum.

nosa exhalatione gignitur. Perrumpit ac perscindit dura magis, quàm mollia, velut metallum, saxum, pecuniam intacta sæpe crumena: quod ideo fit, quia duriora magis resistunt, et in hæc illud vim suam acrius exercet: quæ quidem vis in illo tartareo puluere bombardico incenso facilè cerni potest. Tria sunt, teste Seneca (lib. II. naturalium quæstionum) fulminum genera; Vnum, quod terebrat ac penetrat res ictas propter exhalationis, qua constat, tenuitatem. Alterum quod afflat, & obiecta dißipat propter densitatem. Tertium, quod vrit propter glutinosam materiam. Fulgur & fulguratio differunt à fulmine, vt idem Seneca scribit eodem libro: quòd FVLMEN *dicatur, cùm ignis conflictu nubium expressus emittitur.* FVLGVR *& fulguratio, cùm ignis tantùm ostenditur, qui & fulgor dicitur à* Cicerone *lib. II. de diuinat. Fulgur constat exhalatione sicca non coacta, sed per aërem sparsa: Fulmen ex densa cum vapore frigido permista. Quod autem citiùs splendor ille cernatur, quàm tonitru percipiatur, cùm tamen eodem tempore vtrumque fiat, quemadmodum è bombarda simul & accensi pulueris lux emicat, & globus igneo flatu exprimitur: ea caussa est, quòd adspectus tenuior sit, & sine aëris motu formas adspectabiles statim apprehendat; audiendi verò sensus tardior, non nisi per aëris impulsionem ad aures peruenientis percipiat.*

Vis fulminis.

Tria fulminum genera.

Differunt Fulmen, & Fulgur.

Cur citius ignis quàm tonitru percipiatur.

De Cometis. CAP. XXII.

COMETÆ *existunt, cùm in supremam aëris regionem euecta exhalatio sicca & crassa cogitur; orbiumq́;*

Cometarum causæ.

biumq́; cæleſtium impulſu agitato aëre ignis attactu accẽditur, paullatímque inflammatur æquabiliter; nec ſubitò deſinit propter materiæ copiam, quæ continua quadam ſimilis materiæ cæli motu ac ſolis calore attractæ acceßione creſcit. Hinc fit, vt quo copioſior eſt exhalatio, hoc diuturnior ſit cometa: quem Plinius vt minimum ſeptem, vt ſummum octoginta dies cerni ſcribit. A figura cometis nomen inditum eſt: quòd videantur ſtellæ crinitæ, quas Latini, teſte Cicerone, Cincinnatas etiam vocant. Eorum color pro exhalationis vel raritate vel denſitate aliàs rubet, aliàs pallet: ſed quia noctu ardent ac ſcintillare conſpiciuntur; color ſæpe mutari videtur. Autumni tempore ſæpius generantur. Sequuntur cometæ ſiderum curſum, quòd ſumma pars aëris etiam cæli motu rapiatur. Nos annis ſuperioribus hîc vidimus cometam inter eundum ſimul & cælum ſequi, & in Septentrionem interim eniti. Variæ ſignificationes eorum commemorantur, ſed præter æſtum, ſiccitatem, & ſterilitatem, quæ cometæ ferè nuntiant, reliqua Deo nobis minanti nota ſunt. Cometarum ſpecies ſunt; Pogoniæ, quæ barbæ figuram; Acontiæ, quæ iaculi; Xiphiæ, quæ mucronis; Ceratiæ, quæ cornuum ſpeciem referunt.

Cur diuturnior vel breuior cometa.

Cometæ Latinè dicuntur ſtellæ crinitæ & cincinnatæ.

De cometarum colore, tempore & motu.

Significationes cometarum.

Species cometarum.

De igneis meteoris ijs, quæ in aëre cernuntur innoxia. CAP. XXIII.

SECVNDVM *genus igneorum eſt, quæ cùm nullum habeant ignem, ardere tamen in aëre videntur, vt* CHASMA, *ſeu hiatus fit, cùm exhalatione denſa & glutinoſa in ſuprema regione aëris excalfacta cælũ ſubitò ſplendore aperiri videtur. Hiatus hic ſi minor ſit,*

Chaſma.

ſit, dolium appellatur: ſi latior, vorago. NOCTVRNVS SPLENDOR, *ſit accenſa exhalatione aliqua tenui ac rara; quo repentè magna cæli pars illuſtratur, & citò deſinit. Eam lucem Plinius lumen de cælo viſum appellat.* NVBES *eſt copioſa exhalatio vi ſolis euecta, & in media regione aëris frigore coacta, quæ interiore calore, quo fuit excitata, ſuſpenditur. Cùm autem nubes ex varijs vaporum generibus vel craßiorũ vel tenuiorum, vel aridiorũ, vel humentium conſtent, ſi radijs ſolis illuſtrentur, diuerſi colores apparent; videntúrque nubes aliæ rubentes, aliæ nigricantes, aliæ pallentes, aliæ plerumque cæruleæ.* CORONA, *quæ Græcè Halos dicitur, eſt circulus in nubibus, non, vt Plinius putabat, in orbe ſtellifero, apparens, qui lunam, ſolem, aliámue ſtellam ex maioribus aliquam, cui ſubeſt, ambit, ſed lunam ſæpius. Efficitur hic circulus ex nube rara ac tenui, quam ſtella ſuis radijs mediam traijcit, idq́; tantùm ſereno tempore: qui ſi paullatim euaneſcat, ſerenitatem ſignificat; ſi denſitate nigreſcat, pluuiam. Quòd ſi ab aliqua parte frangatur, ventos indidem flantes indicat, quibus eum diuidi cernimus.* PARELIA *ſunt imagines quædam à Sole nubibus impreſſæ, quæ fiunt aëre tranquillo, cùm æquabilis aliqua nubes & humida, nec denſa nimium nec rara, ſolis radijs illuſtrata, effigiem illius refert. Solent interdum, ſi fuerint ad exhibendam eiuſmodi imaginem aptæ nubes, bina parelia, interdum etiam terna apparere, non plura, teſte Plinio. Pluuiam portendere parelia Seneca ſcribit.* IRIS *ſiue cæleſtis arcus fit, cùm in cauam et roridam nubem tenuem atque æquabilem, quæ liqueſcere iam cœperat, & exaduerſum ſoli poſitam*

Nocturnus ſplẽdor, ſeu lumen de cęlo viſum.

Nubes.

Nubium color.

Corona, Halos.

Significationes Coronæ.

Parelia.

Plures Solis imagines.

Iris.

positā, eius radij reflectuntur; qui quoniam rotundam in ea nube figuram efficiunt, arcuatam quoq; imaginē spectantibus exhibent, maiorem quidem si vel ortui vel occasui sol vicinior erit; minorem si longiùs supra horizontē attolletur. Colores Iridis. *Colores iridis eadem ex caussa fiunt, qua nubium colores, puniceus, qui extimus est, viridis qui medius, quem interior sequitur cæruleus, & qui ex puniceo & viridi constat flauus, pro maiore minoréue lucis in nubibus conceptæ portione. Nam virides minimum lucis habent, puniceæ plurimum.* Plures irides. *Tres interdum, sed perrarò; duæ verò sæpius eodem tempore conspiciuntur irides, quarum prima secundam, et hæc tertiam reflexa imaginem efficit. Scribit Plinius lib.* XVIII. *capite vltimo; arcus cùm sunt duplices, pluuias nuntiare; à pluuijs serenitatem non perinde certam.* Lineæ perpendiculares. LINEÆ PERPENDICVLARES *seu virgulæ varij coloris, tanquam funes, quibus tentoria distēduntur, fiunt eodem modo quo irides; nisi quòd hæ lineæ rectæ in longum porriguntur, non, vt illæ, curuantur in arcum: quod ex eo fit, quia nubes, in quibus apparēt, non vt in iride concauæ, sed planæ sunt. quibus linearum imagine radij solis imprimuntur.* Lacteus circulus. GALAXIAS, *Latinè dictus est Lacteus circulus, quæ Zona potius est ipso candore in sereno cælo notabilis: quem vel ætheris densitas, vt quidam censent, vel stellarum multitudo, quæ per totum illum tractum constipatæ sunt, efficere videtur. Situm eius ex libello de sphæra cognosces. Sed hæc lactea via non recte inter exhalationes numeratur, cùm semper eodem loco, eadem magnitudine conspiciatur, nec euanescat vnquam.*

De

De aëriorum genere, ac primùm de ventis.

CAP. XXIIII.

VENTVS, *est halitus calidus & siccus, calore solis in altum sublatus, qui frigidis vaporibus è media regione sensim ad terram semper descendentibus occurrens, cùm nec ascendere, nec ob nouos halitus identidem sursum nitentes descendere possit, in transuersum per infimam aëris regionem retorquetur: qui pro exhalationis copia maiore vel minore vehementior flatus est, aut lenior aura. Ventum non nulli definiunt aërem, occulto cæli motu agitatum, vt* D. *Augustinus, & Seneca aërem fluentem in aliquam mundi partem; quòd ventus aërem secum rapiat: sed ab aëre tamen distat ventus; quòd aër tenuissimus spiritus est, calidus & humidus ac leni afflatu recreans: ventus verò crassior est, & concitatior. Cùm igitur exhalatio in aërem euecta siccis ac tenuibus includitur nubibus, vi solis & siderum modicè tepefacientis in flatus conuertitur, & cæli motu impellitur. Quoniam autem ex omnibus mundi plagis excitantur exhalationes, totidem etiam ventorum genera sunt; ac principes olim tantùm quatuor numerabantur, oriens, occidens, septentrio & meridies, quibus vtrinq; adiuncti singulis bini venti, numerũ duodenarium reddunt. de quibus vide libellum nostrum de Sphæra. Sed hoc tempore nauticus ventorum index duos & triginta ventos continet, horizonte totidem in partes distributo. Venti pro regionis, vnde spirant, varietate diuersas habent vires: Eoi sunt calidi & sicci: cõtrarij sunt occidui, tepidi et humidi: australes, calidi & humidi, & ob id nubili & procellosi: septentrionales, frigidi & sicci. Ad hunc locum referantur*

Cur venti in transuersum deijciantur.

Ventus vehementior. Aura lenior.

Ventus ab aere differt.

Quomodo fiat ventus.

Olim quatuor tantùm venti, deinde duodecim: nunc nautis duo & triginta numerantur.

tur varia repentinorum flatuum seu potius tempestatum genera; quòd ex natura spirabili oriantur: quorum hîc non nulla referemus. TERRÆ MOTVS est, quo terra mouetur ob exhalationes calidas et siccas vi solis ex aquis intra terram conclusis excitatas, quæ densis terræ cauernis cohibitæ & incalescentes, cùm foras erumpere conantur, terram ea parte, qua sunt inclusi, concutiunt vel grauiore vel leuiore motu pro spiritus inclusi copia, qui calore solis attrahitur: aut violenter erumpunt hiatu facto: ac voragine absorbentes interdum vrbes, insulas, & montes: aut nouos montes & insulas erigentes, & fluminum cursum mutantes vel absorbent ea, vel noua excitant. Fit autem aëre sereno ac tranquillo. Tres terræ motuum species Seneca tradit; vnam quæ succußio dicitur; cùm terra concussa sursum ac deorsum mouetur: alteram inclinationem, qua in latera nutat nauigij more; vnde ruina fit ædificiorum: tertiam, quæ tremor appellatur, qua terra vibratur. Signa futuri terræ motus hæc ferè sunt; summa tranquillitas maris & aëris, aquarum putealium in imo fundo conturbatio. quibus addit alia signa & remedia Plinius, quem require. ECNEPHIAS, procellæ genus est, ac repentinus flatus & vehemens, sed breuis, è sicca & calida ortus exhalatione, quæ nube compressa violenter erumpens obliquè per terras fertur; & interdum ignem concipit. Atque hic quidem sine pluuijs nubem discindit, ac dispergit: sed quæ nube impulsa erumpentes cum imbribus grassantur, exhydriæ vocantur. HVIC TYPHON cognatus est, quem Plinius vibratum ecnephiam vocat; qui effracta nube magno impetu erumpens sine fulmine turbinis

Terræ motus quomodo fiat.

Tres species terræ motus.

Ecnephias.

Exhydriæ vẽti.

Typhon latine vortex.

turbinis modo rotatus agitur, & in terras irruens obuia quæque corripit, & versat: ex quo nomen ei vortex à Latinis inditũ. Differt ab ecnephia typhõ, quòd ille incensus sine gyro feratur, hic sine igne verticosus omnia contorqueat. PRESTER *eadem ratione & caussa fit, qua typhõ; nisi quòd dum in terras gyrando fertur, ob motus vim & materiæ siccitatem ignem concipit, & contacta inflammat: vnde & à Seneca dictus est igneus turbo. Horribilis est et pertimescendus hic ventus, seu potius fulminis genus: nisi quòd igne conglobato fulmen erumpit.* TONITRV, *sonitus est ex collisa ac rupta nube per aërem editus, qui sensim amplificatus audiendi sensum tanquam circulis quibusdam delatus ferit. Ad hunc meteororum ordinem pertinent signa tempestatum: quæ diligenter à Theophrasto & Plinio, & ab alijs, maximè verò ab astrologis colliguntur, quòd ea astrorum effectione fieri videantur.*

Prester igneus turbo.

Presteris & fulminis discrimẽ.

Tonitru.

Signa tempestatum.

De aqueorum meteororum generibus.

CAP. XXV.

PLVVIA *est fluxio nubis humidæ calore solis penetrantis resolutæ in aquæ guttas: quæ maiores vel minores sunt pro liquatæ nubis varietate, & vi caloris, atque etiam loco. Nam ea caloris vis est, vt humentia dissoluat. Fit autem hoc modo: Vapores humidi & calidi in mediam aëris regionem sublati frigore eius loci in nubem coguntur, ex qua tanquam spongia solis ardore desuper constringentis liquatæ excidunt guttæ. Quòd si minutissimis guttulis nubes liquefacta soluatur, ille tenuis imber ψεκάδιον à Græcis appellatur. Signa pluuiæ imminentis obseruãtur hæc: rubor nubium*

Pluuia quomodo fiat.

Locus aqueorum meteororum.

matutinus: solis ac lunæ pallor: venti australis in aquilonarem mutatio: ranæ solito magis vocales: citissimus solis exortus: aliaq́ permulta, quæ collecta sunt à Plinio & alijs. N I X *est tanquam spuma quædam aquarum cælestium mollius coacta: quæ generatur, cùm nubes præparata pluuiæ, antequam in aquam resoluatur, in media regione aëris à circumstante frigore deficiente calore congelatur, & ventorum frigidorum agitatione distracta in floccos abit ac descendit.* Candidam *facit frigus, quo congelatus omnis aquæ humor albescit.* G R A N D O *est conglaciatus imber: quæ fit in infimo aëris frigidioris mediæ regionis loco, cùm liquefactæ nubis guttæ iam descendentes aëris frigore conglobatæ congelantur: & quo viciniore ex aëris regione grandinum globuli præcipitant, eo sunt maiores, quàm quæ remotiori ex loco descendunt. Generatur grando vere sæpius quàm autumno, atque in calidis regionibus; hieme rarius: niues contrà hieme & frigidis in locis frequentius.* R O S E T P R V I N A *generantur in hac infima aëris regione ex vaporibus tenuibus in eam vi solis euectis, ibiq́ consistentibus: quòd calore destituti ad mediam penetrare non poßint. Ac ros quidem fit, si modicũ superueniat frigus, nec maius quàm vt poßit eos vapores in aquam conuertere. Pruina verò fit, si vapores illi frigore aëris ac noctis prius congelentur, ac velut in salis formam constringantur, quàm in aquam liquescant. Ros fit austro potißimùm flante, pruina spirante borea.* N E B V L A, *vapor est ex terris & aquis excitatus oriente potißimùm vel occidente sole, proximum nobis aërem obscurans, nec ita humidus vt in aquam poßit verti, nec ita calidus vt subuehi:*

qui

Signa pluuiæ.

Nix quomodo fiat.

Cur nix candida fit?

Grando quomodo fiat.

Ros & pruina quomodo fiant.

Ros.

Pruina.

Nebula.

qui relabens in terram, serenitatē diei promittit; sursum euanescens, pluuiam. Nebulæ materies eadem est quæ nubium, roris & pruinæ, sed prope terram hærens.

De fontium & fluminum origine.
CAP. XXVI.

AER *in terræ meatus, qui sunt vbique plurimi, ne quid vsquam vacuum sit, illabitur ac penetrat: in quibus propter loci frigus amisso tepore crassescit & humectatur; tum guttatim defluens paullatim in aliquē locum decurrit, ac fontium fluuiorúmque scatebras efficit. Id Aristoteles ex aëris natura probat. Nam cùm aër humore & calore constet, aqua autem frigore & humore: si calorem aër in terrarū cauis inclusus amittat, mox in aquam vertatur necesse est; quæ cùm semel effluere cœperit, perennis fons nascitur, nouo semper in liquescentis locum, ne vacuum existere poßit, aëre subeunte. Sed ab hac Aristotelis sententia Plato & veterum pleriq;, atque ipse Ecclesiastes discedere videntur: qui censent aquas omnes ex intimis terræ cauis oriri; & in medio ingentem esse abyssum, quem tartarum Plato vocat, aquarum receptaculum; & ex eo maria omnia & flumina emitti, & in eundem redire, & reddi fontibus, vt denuo fluant. Omnia flumina, inquit Ecclesiastes, intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Hinc intelligi potest, vt per corpus à iecore velut receptaculo sanguis per omnes venas diffunditur: ita per terræ venas, pro quarū magnitudine vel maior vel minor aquarum copia exsilit, è medio aquas emergere. Diuersus est aquarū è terris scatentiū*

Aer loca vacua penetrat.

Cur aquæ fontium perennes.

Vnde flumina oriantur.

 sapor,

sapor, ordor, color, calor, vel frigus, ex diuersa meatuum & alueorum, per quos fluunt, natura: Nam quæ per terram glareosam decurrunt, dulces fiunt: quæ per bituminosam et sulfuream, calidæ: quæ per lapidosam, frigidæ. Vide Plinium lib. XXXI. *de natura aquarum: & Senecam lib.* III.

Vnde sapor, calor, frigus & odor aquarum.

De maris ortu & salsitudine. CAP. XXVII.

MARE *est elementi aquæ receptaculum, quæ vnum in locum amplißimum à* Deo; *cùm aquas ab aquis diuideret, initio mundi conditi iussa secedere, omnia flumina recipit. Videtur mare salsum à* Deo *factũ, ad aquæ integritatem conseruandam. Salsuginis caussam satis probabilem, & quæ facilè post illam primam recipiatur, adfert Aristoteles, solis feruorem dulces ac tenues vapores attrahentis ex aqua, & crassos atque adustos relinquentis, quibus permistum mare salsum redditur. Calidum enim cum humido permistum amarum saporem & salsum facit: quomodo ex potu in corpore humano percolato redditur vrina salsa, & erumpens ex cute sudor calore decoctus: & ex aqua cineribus percolata lixiuium. Flumina tamen si qua ex mari fluant, per longos terræ meatus transeuntia veluti colantur, ac purgantur à salsitudine. Cur autem flumina, cùm solis calore ipsa quoque feriantur, dulcia sint, eadem caussa est, nempe quòd per terras aßiduo decursu dulcedinem contrahant: mare verò quasi stagnans vno in loco cõsistat: nisi quòd ventis concitatur, & statis tẽporibus ad litora accedit & ab his recedit.*

Cur mare salsum.

Cur vrina & sudor salsus.

Cur fluuialis aqua dulcis.

De æstu maris. CAP. XXVIII.

ATQVE *vt breuiter æstus maris atq; etiam fluminum quorundam caussas probabiles inquiramus: illius*

lius æstus caussa videtur ad lunam referenda, cuius in aquas imperium est, & terris proxima, plus ceteris planetis post Solem potest. Nam pro eius ortu vel occasu & progressu ad meridianum circulum mare fluit ac refluit. Atque hæc fluxio aquarum accedentium & recedentium reciproca vocatur æstus. Luna igitur orienti mare velut obuiam dominæ venienti procedens summa litora premit, mox eam ascendentem honoris caussa ad meridianum nostrum deducit: deinde ea descendente ad occasum, redit ad litora: iisdémque vicibus hinc ad nocturnum meridianum tendente Luna, mare in altum recedit, eáque ad ortum redeunte, ad litora se recipit. Sunt igitur plena litora vel oriente vel occidente Luna. Aestus autem sunt alibi maiores, alibi minores, alibi ferè nulli, vt in mari mediterraneo et Balthico. Sunt & Euripi & admirabiles aquarũ reciprocationes: quorum difficilis est cognitio, et adhuc in rerũ natura occulta. Peculiaris est quædam Nili fluuij natura, qui solus omnium in æstate sole subeunte leonem, Aegyptũ pluuia carentẽ inundat: cuius caussam philosophi multi putauerũt esse, colliquescentes niues è mõtibus Lunæ, vnde Nilus oriri creditur, præcipitantes. Cur Nilus inundat.

De fossilibus, ac primùm de metallis.

CAP. XXIX.

DICTVM est de mistorum imperfectorum, vt appellantur, generatione; deinceps de fossilium natura dicendum est. Fossilium seu mistorum perfectorum tres sunt omnino species: Metalla, lapides, & quædam terrarum pretiosarum formæ. Differunt hæc inter se, metalla à lapidibus, quod ductilia sint, & vtraq; à terris pretiosis, quòd dura. Metalla ex vapore crasso & glu- Fossilium tres species, metalla, lapides, & quędam terræ pretiosæ.

Metalla & lapides vnde nascantur.

tinoso effici, docet Aristoteles: qui in Meteoris duo sub terris halituum genera posuit similia ijs, de quibus dictum est: vnũ siccum, ex quo lapides gignuntur; alterũ humidum, ex quo metalla; sed vtrisq; præterea succus quidam terræ tenui & glutinosæ coniunctus subijcitur ex illo halitu concretus, & calore et frigore induratus, vnde vel metalla vel lapides nascantur pro maiore minoréue humoris interioris copia. Metalla fiunt cùm vapor inclusus, lapidum, quos ibi offendit, siccitate constrictus induratur frigore. Cetera fossilia fiunt, cùm terrestris exhalatio sicca in terra ab adurente calido coacta solidatur. Omnium autẽ fossilium omissa Chemicorum sententia, duæ sunt efficientes caussæ: calor & frigus, quibus, vt modò dictum est, tanquam materia subijcitur glutinosus ille succus terræ immistus; qui coagulatus initio quidem ac temperatus à calore, sed à frigore cõstrictus, in hoc vel illud metalli genus informatur aut pretiosius aut vilius pro succi illius, ex quo concretum est, varia temperatione. quo enim quicque fuerit humidius, ac minus terrenæ concretionis, plus autem illius sũcci frigore congelati ac solidati continuerit; eo purius erit atque nobilius. Ex humoris etiam temperatione & colore splendor & colores existunt. Omnium autem metallorum natura & frigida est & humida: ad quorum generationẽ requiruntur loci & cæli temperatio, terræq; tepor & humor. Neque enim omnia omnibus in locis proueniunt. Nam aurum in calidis & humidis regionibus ferè nascitur, reliqua in frigidis: quòd illud præter humorẽ calore maximè perficiatur; hæc frigore. Metallorum species à quibusdam numerantur septem; aurum, argentum,

Metalla quomodo fiant & cetera fossilia.

Caussæ fossilium.

Qui τὴν χημίαν profitentur, metallorum omnium principia constituunt & materiam, sulfur vt marem, & argentum viuum vt feminã: quorum mistura procreentur, meliora ex materia puriore, & ex impuriore deteriora.

Cur metallum aliud alio preciosius.

Alia alijs in locis feliciùs proueniunt.

Metallorum species.

tum, æs, stannum, ferrum, plumbum, & orichalcum. Ab alijs adduntur, argentum viuum, chalybs, bisemutum quod est medium quiddã inter plumbum et stannum, plumbo nobilius et argento deterius, id cinereum plũbum vocant, et alia nonnulla, quæ copiosè à Georgio Agricola explicantur. AVRVM *ex maiore humoris quàm terræ portione concretum est.* ARGENTVM *ex humore minus excalfacto minusq́; puro quàm aurũ.* AES *terrena concretione magis quàm humore constare videtur: quòd & leuius sit, & ærugine citiùs obducatur.* STANNVM *frigidiore constat humore nec satis decocto, & ob id mollius est, leuius ac rarius.* FERRVM *humore perexiguo sed magna ex parte concretione terrena conflatum est.* CHALYBS, *nihil aliud est quàm ferrum durius.* PLVMBVM *nigrum ex humore crasso et male decocto concretum est. Nam candidum plumbum pro stanno vsurpatur.* ORICHALCVM *ære nobilius est, purius, &, quia maiore calore decoctum est, etiam durius.* ARGENTVM VIVVM *humidæ & aëreæ naturæ est, ex aquoso & glutinoso humore subtilis ac puræ terræ parte concretum: quamobrem & inconstans, clarum, liquidum & graue.* Huius *duæ sunt species: natiuum seu fossile, & factitium, quod ex minio decocto purgatur.* SVLFVR *gignitur ex pingui aëreo & terreno tenui, cæli calore decocto atque coagmentato. Id alij inter metalla numerant: alij terris insignioribus adijciunt. Est hoc quoque duplex, natiuum, quod in fodinis reperitur et, factitium quod arte perficitur. Chemici nostræ ætatis duo statuunt omnium metallorum principia; sulfur & argentum viuum, vt materiam propinquam:*

Candidum plũbum pro stanno vsurpatur.

Generantur metalla ex argẽto viuo & sulfure.

illud vt patrem efficientem, hoc vt matrem illi ſubiectam. Addunt his ſingulares ſiderum vires, idq; ſatis poëticè: & Solem præficiunt auro, Lunam argento, ſtanno Iouem, plumbo Saturnum, æri Venerem, ferro Martem, argento viuo Mercurium.

De lapidibus. CAP. XXX.

Quibus cauſſis lapidum ortus conſtet.

LAPIDES *& gemmæ naſcuntur ex humente ſucco atque tenace craßiori terræ per temporis diuturnitatem vi caloris & frigoris conglutinato. Materia eſt ſuccus ille humidus et craſſus terræ immiſtus, ſponte lapideſcens. Efficientes cauſſæ calor & frigus. Percoctus enim à calore humor cōdenſatur à frigore & coaleſcit. Atque hic communis eſt lapidum omnium ortus, ſed ob diuerſam materiæ, qua conſtant, temperationem, copiam et decoctum; varia eſt eorum magnitudo, qualitas, perſpicuitas, color, læuor, mollities, & durities.*

De pretioſis quibuſdam terris foſſilibus. CAP. XXXI.

INTER *metalla et lapides mediam quandam naturam obtinent inſignes quædam terræ; quòd minore conſtent humore, quàm vt metalla fieri poßint, deficiente videlicet calore & materia cōcretioni congruente; minore quoque ſiccitàte aut calore, quàm vt in lapides indureſcant. Horum permulta fundi, ſicut metalla, poſſunt; vt ſucci quidam concreti, velut alumen, bitumen, ſulfur, ſal, nitrum: ſunt alia, quæ, vt liquari nequeant, ſicuti nec lapides, humidiora tamen his & molliora ſunt; velut auripigmentum, ſandaraca, gypſum, chalcitis, aliaq; non nulla, quorum explicatio petatur à Plinio & Theophraſto, vel à Georgio Agricola, qui harum rerum obſeruatione longe omnes ſuperauit.*

De

De ſtirpibus. CAP. XXXII.

CVM *ex quatuor naturalium corporum generibus, quorum alia dicuntur miſta imperfecta, vt meteora; alia perfecta, vt foßilia, ſtirpes & animantia: duo ſint explicata, vt meteora et foßilia quæ ex terris eruuntur; deinceps ea, quæ ſuper terram conſpiciuntur, ſtirpes & animantia breuiter explicabimus, ac primum ſtirpes. Stirpis nomine corpus miſtum intelligimus, anima vigente præditum, per quam naſcitur è terra ac viret, alitur, atque augetur, ſed ſenſus expers.* Quid ſtirps *Omnes autem ſtirpes ſicuti cetera miſta corpora conſtant ex quatuor qualitatibus, humore, calore, ſiccitate, & frigore: verũ hæ peculiariter plus habent humoris quàm cetera. Gignuntur ſtirpes hoc modo: Terra, vt ſemen quodcunque concipiat, humida ſit neceſſe eſt: id emollitum calore naturali fouetur, & propter humorem ei à terra accedentẽ intumeſcens rumpitur, eaq́ parte qua iam ruptum eſt ſemen, germen enaſcitur, molle quidem primò ac tenue, ſed quod firmius paullatim & craßius exſurgit: cuius pars vna, quòd aëreæ ſit naturæ, ſurſum nitens per terræ meatus erumpit; altera verò quæ terreſtris eſt & craſſa manens intra terram coaleſcit. Atque hic communis eſt omnium ſtirpium ortus; quem fouet atque alit humor, qui terram irrigat, calore decoctus, & ab interiore vi ſtirpium attractus. Partes, quibus alimentum capitur, primariæ ſunt, radix, caudex vel caulis, rami et ſurculi. Radix, tanquam os animantibus à natura datum; congruens alimentum attrahit, à terra ſuppeditatum. Caudex etiam arborum & fruticum, vel caulis herbarum, velut corpus eſt, in quod alimentum defertur. Rami qui à caule vel caudice in la-*

Stirpes quomodo gignantur.

Radix.

Caudex.

Caulis.

Rami.

Surculus.
Folia.

titudinem multiplices diffunduntur. Surculus ex ramis simplex oritur. Excrementa stirpium esse dicuntur folia. Postremò fructus eduntur vel semina. Non primariæ partes ab animantium corpore appellantur, caro, medulla, neruus, vena. Stirpes nascuntur aut sponte aut ex semine, aut radice, aut auulsione, aut ramo, aut surculo, aut ipso trunco. Quæ sponte vel ex semine vel radice nascuntur, eæ sunt maximè naturales: reliquæ hominum arte generantur. Stirpium vita, sicut animantium in humore atque calore insito potißimùm consistit: quæ duo cùm deficere cœperint, senescunt stirpes, & illis penitus iam deficientibus emoriuntur & exsiccantur. Atque hæc quidem stirpium est materia. Caussa efficiens est vis cæli, & natura quædam terræ seminibus vel radicibus inhærens. Finis est, vt prosint animantibus ad alimentum, sanitatē, aut voluptatem. Genera stirpium prima numerantur omnino tria, arbor, frutex, & herba. Arbor est, quæ ab radice caudice simplici ramis surculisq́ exornato in altum excrescit, ac diu durat. Frutex multiplici ac ramoso caudice sese ab radice attollit. Herba stirps est, quæ caule aut tenuibus surculis enascitur, et quotānis arescit. Omnes autē species, quæ pæne sunt innumerabiles, hac diuisione comprehendi possunt: vt stirpium aliæ sint hortenses, aliæ siluestres: aliæ fructiferæ, aliæ steriles: aliæ floriferæ, aliæ flore carentes. Præterea quædam terrestres; quædam aquatiles, & inter has aliæ palustres, aliæ fluuiales, aliæ marinæ. Non nullæ semper virentes, aliæ quotannis per hiemem folijs nudatæ. Constituuntur à medicis pro diuersa qualitatum, caloris, humoris, siccitatis vel frigoris proportione diuersæ facultates & ordines;

Fructus.

Stirpes aut spōte nascuntur aut arte adiuuante.

De vita & morte stirpium.

Materia stirpium.
Efficiens causa,
Finis.

Species stirpium tres.

Arbor.

Frutex.

Herba.

Diuisio stirpium.

Facultates & ordines stirpiū à medicis constituti.

dines: vt omnes ſtirpes calidæ, frigidæ, ſiccæ vel humidæ ſint in primo, ſecundo, tertio, vel quarto gradu: in primo vix illæ facultates percipiuntur, in quarto nimium. Sed omnium hiſtorias et vires cognoſcere licebit ex veterum & recentiorum libris, Plinij, Theophraſti, Dioſcoridis, Matthioli & reliquorum.

De animantibus. CAP. XXXIII.

ANIMAL *eſt, quod ſenſu aliquo & vita præditum corpus habet. Id in tria genera diuiſum eſt, in terrenum, volans, & aquatile: ad quæ tria variæ & innumerabiles animantium formæ referuntur: quarum omnium communem duntaxat, non etiam propriam ſingularum naturam explicabimus, ortum, vires animæ, corporis compoſitionem & partes, generationem & generis propagationem. Commune omnium animantium eſt, animatum eſſe, id eſt, à ſeipſo moueri: itémque ex corpore & aliquo animæ genere conſtare, ipſumq; corpus, quod è quatuor qualitatibus earumq; diuerſa temperatione conſtat, tanquam materiam quandam ſubiectam animæ, qua viuit, qua alitur, qua ſui conſeruandi, & ſibi ſimile propagandi vim inſitam habet. Nihil enim aliud corpus quàm inſtrumentum eſt, & tanquam vehiculum animæ, quod illa tanquam gubernatrix mouet primũ, tum vegetat & alit, deinde ſenſus particeps efficit. atque hæc vltima eſt animantis cuiuſque perfectio præterquam hominis, qui mente ac ratione præditus eſt. Et quoniam ab anima dicta ſunt animantia, paucis hic vim animæ perſtringemus. Omnibus animantibus præſertim perfectis hæ vires animæ vel omnes vel earum aliquæ ſunt inditæ, mouens, vegetans, alterans, augens, et ſentiens: quæ ſuis locis infrà*

Animantium tria genera.

Animantia conſtant corpore & anima ſentiente.

Corpus, animæ tanquam vehiculum.

Quibus animæ viribus prædita ſint animantia.

explicabuntur: ijsq́; vt instrumenta ad vsum, ita & membra data sunt. Vt igitur communem animalium naturam breuißimè complectar: constant omnia corpore & anima. Prima caussa efficiens horum, sicut rerum omnium, Deus est, qui verbo suo cuncta creauit: secunda caussa dici potest natura seu vis à Deo rebus conditis tributa: tum etiam in vnoquoque genere mas & femina: quorum ad procreandum animal necessaria est coniunctio. Finis generationis animantium rationis expertium homo est, hominum verò Deus, quem vt colamus nati sumus, eamq́; felicitatem, qua poßimus illo frui, consequamur. Materia animalium ortus prima ac propinqua semen est, secunda corpus ipsum iam effectum, quod animæ sese informandum subijcit. Instrumenta generationis sunt mas & femina, qui semen conferunt, quod natura fouet atq; informat. Atq; hæ quidem sunt communes omnium animantium præsertim perfectorũ caussæ. Nam de ijs, quæ ex putredine, aliáue nobis occulta ratione nascuntur, hîc non agimus.

Omnium efficiens caussa Deus, & huius ministra natura. tum mas & femina animantium.

Finis generationis.

Materia animalium ortus.

Instrumenta generationis.

De corpore humano, eiusque partibus principalibus. CAP. XXXIIII.

HOMO *omnium animantium perfectißimus constat anima rationis participe, & corpore, quod, præter illam communem elementorum materiam, quatuor qualitatibus temperatum est. Ex his totidem humores illis ipsis congruentes nascuntur,* χόλη, *seu flaua bilis, quæ respondet igni, quia calida est & sicca:* μελαγχολία, *siue atra bilis, quæ terræ, quia frigida & sicca:* φλέγμα *seu pituita, quæ aquæ, quia humida & frigida:* αἷμα, *id est sanguis, qui congruit aëri, quòd calidus sit &*

Quatuor humores ex quibus corpus temperatum est elementis respondentes materia

ſit & humidus. Atq; hi quatuor humores materia ſunt corporis humani; ex quibus aliæ partes ſolidiores, quæ totam conſtruunt illius molem, gignuntur, vulgo ſimilares & diſsimilares dictæ: in quibus vires primarum qualitatũ inſunt. Similares ſunt primæ partes, ex quibus omnia membra componuntur, vt neruus, medulla, os, pinguedo, venæ, ſanguis, arteriæ, fibræ, caro, cartilago, ceteræq; ſimplices. Diſsimilares dicuntur, quæ ſunt è ſimilaribus corporis partibus compoſitæ, vt caput, venter, manus, pedes, &c. Hoc enim ordine cõponuntur, vt, quoniam omnia ex elementis cõſtant; humores autem ex quatuor qualitatum miſtione concreti ſunt; ex his partes ſimilares exiſtant, ex quibus porrò diſsimilares conſtant. Ad hanc eſſentiæ corporis humani concretionem accedit ea temperatio, quæ ex quatuor humoribus exiſtit, quam Græci κρᾶσιν, *medici complexionem vulgò nominant. Quamuis enim in omnibus corporibus quatuor illæ qualitates, & ex his orti humores neceſſariò ſimul inhæreant; ex eo tamen quod in alijs alia præualent & exuperant; conſtitutio corporis dicitur vel ſanguinea, vel bilioſa, vel pituitoſa, vel melancholica. Temperata & bona conſtitutio eſt, in qua minus eſt bilis flauæ, pluſculum atræ, plus etiam pituitæ, multo etiam plus ſanguinis, pro portione naturæ cõſentanea. Sed quæ ſit illa iuſta proportio, ſolus nouit opifex omnium Deus. Totius humani corporis ſtructuram & accuratam ſingularum partium deſcriptionem qui cognoſcere volet, à medicis petat: nos præcipua membra perſtringemus. Hominis formam erectam eleganter Ouidius lib. 1. Metamorph. deſcribit.* PRÆCIPVA *pars hominis* CAPVT *eſt, in quo non modò ſenſuum omnium*

[Margin notes: ſunt corporis humani. — Ex his partes aliæ vulgo dicuntur ſimilares, aliæ diſſimilares. — Similares. — Diſſimilares. — Conſtitutio corporis ac temperatio, quæ vulgo complexio dicitur. — Quæ ſit bona corporis conſtitutio. — Anatome propria medicorum eſt. — Præcipua corporis humani membra.]

omnium vires, verumetiam ratio & mens est, lucis diuinæ particeps, cuius in CEREBRO *sedes est. Huc per arterias puri spiritus euecti puriores etiam efficiuntur & lucidiores, omnium actionum in sensibus interioribus instrumenta. Capiti* COLLVM *subijcitur, spinæ dorsi atque humeris insitum. In eius posteriori parte* CERVIX *est, in priori* GVTTVR *complectens asperam arteriam, per quam spiritus ducitur, & gulam, per quam cibus & potus transmittitur, tanquam fistulas duas cartilagineas. Ad imum colli sunt* HVMERI, *ex quibus* BRACHIA *dependent. Sub gutture* PECTVS *duodecim costis constructum: sub ceruice* DORSVM. *Intra pectus* COR *positum à medio ad sinistri lateris mammam erigitur: quod vtrinque ventriculos habet duos; quorum dexter, à vena caua sanguinem haurit; qui confectus in iecore cordis calore perficitur, ac deinde in omnes partes diffunditur: sinister vitalium spirituum fons est; qui sanguinẽ à dextro haustum summa vi caloris naturalis in spiritus cõuertit, eosq; per arterias in totum corpus immittit. Ad dextrum pectoris latus* PVLMONES *latius extenduntur; qui spiritum per os & asperam arteriam ex aëre ductum, intra se natiuo calore calfactum, extenuatum & temperatum, in cor transmittunt; quo spiritu, nisi cor perpetuo refrigeretur, vita animantis nimio æstu extingueretur. Ac pulmonũ quidem, quos diaphragma commouet, agitatione fit* RESPIRATIO, *sine qua viuere animantia non possint. Pulmonibus adhæret aspera arteria, velut fistula quædam, à faucibus orta; per quam spiritus attrahitur & emittitur.*

Cordis duo ventriculi.

De respiratione vide caput lviij.

tur. Huic altera fistula coniuncta est, priore interior & longior per diaphragma longius porrecta; per quam cibus descendit à summo gulæ in STOMACHVM, et hinc in ventriculum, cibi receptaculum fertur. Faucibus adhæret LINGVA inclusa palato & dentibus. Stomachum VENTRICVLVS excipit, ad alimentum animantium comparatus, sub diaphragmate quod est lata membrana, quæ pectus, in quo sunt cor et pulmones, à ventre, quo cõtinentur inferiora viscera, separat dorso alligatus: qui pro cibi copia extendi contrahique potest. Huc esculenta & poculenta dentibus confecta cùm ingeruntur, calore liquata mutantur in chylum: qui deinde ad intestina duodenum & ieiunum defertur: ex ieiuno meliores chyli partes à venis meseraicis attractæ dimittuntur in iecur: deteriores ac fæculentæ ad inferiora intestina pelluntur: & superfluens humor aquosus à vena caua per renes in vesicã influit. In iecore sanguis gignitur: qui mox ad cor transmittitur, vitalem spiritum accepturus, & toti corpori animalis alimentum præbiturus. Ventriculo proximè adhærent INTESTINA multis inuolucris implicata, vt cibus in his diutius detineatur: ne, si vnum esset rectum, perpetuo cibo animantia indigerent. Ad tergum à collo ac posteriore cerebri parte ad extremum vsque os, quod sacrum appellatur, SPINA protenditur XXIIII. vertebris, quæ neruis ligaminibusq; duris colligantur, constans, in quibus omnis medulla continetur. Spinæ ipsi insertæ sunt costæ atque ossa pleraque. Infimæ parti ad os sacrum vtrinque COXÆ adiunctæ sunt.

Stomachus propriè est meatus, per quem cibus in ventriculum demittitur.

Per spinę media foramina à cerebro medulla descendit.

Plini. lib. xi. cap. xxxvij.

Circa

Circa lumbos vtrique lateri RENES adhærent. per hos serum sanguinis attractũ in vesicã per οὐρητῆρας, id est, vrinæ canales transmittitur: qui porrò vrinam, id est, aquosum et bile tinctum humorẽ à renibus depulsum in vesicam demittunt. Paulò infra cor & pulmones sub diaphragmate quod est septum transuersum, quo separãtur viscera spiritalia seu vitalia cor et pulmones à naturalibus iecore & liene IECVR est ad latus dextrum, & lien ad sinistrum. Iecur officina sanguinis, quem percoctum secretis humoribus cor accipit, & spiritu plenum in venas omnes diffundit. Illa autem secretio humorũ quatuor, qui sunt in chylo, (quippe omnia quibus alimur, è qualitatibus quatuor constant) in iecore ita fit, vt sanguis pituitæ admistus ad cor transmittatur: bilis ad fellis vesicam immittatur: melancholia ad lienem. Iecori ex aduersum in sinistro latere paulò inferiori loco LIEN collocatus est: in quem ab illo per canalem quendam humor melancholicus & crassus defertur. Forma huius oblonga, soleæ crassæ similis, color nigricans; illius verò dimidiatæ lunæ, color sanguineus. De partibus ad procreandũ comparatis exstat libellus inscriptus, De conceptu et partu. Reliquæ partes notæ sunt, et à medicis anatomicis satis explicatæ. Sed hîc breuissimè dicemus de natura ossium, medullæ, cartilaginis, neruorum, musculorũ, membranarũ, venarum, arteriarum, carnis, pinguis: quæ partim similaria sunt, partim dissimilaria. OSSIVM robore tota corporis structura sustinetur: quorum natura terrea est, id est, frigida & sicca: quanquam & humoris etiam aliquid & caloris habent admistum. Nata sunt ex semine, quibus alimentum est medullæ.

Vrina.

Secretio quatuor humorum fit in iecore.

CAR-

CARTILAGO *mollior est ossibus.* NERVI *à cerebro oriuntur & cognata cerebro medulla spinæ: quorum alij molliores ac tenuiores, alij duriores sunt: illi sensus, hi motus instrumenta sunt.* LIGAMENTA *neruis similia sed duriora, quibus ossa firmius colligantur quàm neruis.* MVSCVLI, *è carne, neruis & fibris compacti sunt: quibus vel membrum aliquod vel integra corporis pars mouetur.* MEMBRANÆ *comparatæ sunt ad obtegendas teneras & necessarias corporis partes, vt cerebrum, cor, intestina.* VENÆ *sanguinem, vt necessarium alimentum, in totum corpus diffundunt;* ARTERIÆ *spiritum, vt sensuum ac motionis instrumenta: vtrisque vita constat. Nam spiritus hic in cerebrum euectus, cùm in neruos sensui destinatos incidit, sensum; cùm in motorios, motum impertit: & quoniam ab illo vitalis animalisq; calor membris omnibus immittitur, idem vitam conseruat. Per hunc venæ & arteriæ micant; quasi quodam igneo motu, vt ait Cicero, musculi mouentur: sanguis fluit; neruorū motus adiuuatur.* CARO *corporis ossa tegit: quæ præter alias qualitates, potißimùm calida & humida est.* CVTE *obducitur extrema caro. Inter carnem & cutem* PINGVE *est, succo liquidum, quod ab adipe differt, vt scribit Plinius lib.*XI.*cap.*XXXVII. *Atque hæc de corpore hactenus: nunc de communi hominis natura, quæ rationis particeps est, pauca addamus: Corpori iam descripto variæ sunt insitæ vires; vt intelligendi, ratiocinandi, recordandi, appetendi, sentiendi, mouendi, vigendi, gignendi. quarum vt pleræq; sint in ceteris animantibus; in homine tamen sunt longè perfectiores: quæ copiosius infra, cùm de anima disseremus,*

De varijs animæ viribus vide infra caput xlii.

 seremus,

seremus, explicabuntur. Generationis principium est mas & femina: quorum ille vim agendi obtinet, hæc patiendi: ex vtriusque semine commisto, illius quidem calidiore, sed huius frigidiore ac dilutiore tanquã materia subiecta illi virili fetus in mulieris vtero concipitur; aliturq́ue sanguine menstruo (qui tunc effluere desinit) & paullatim formatis corporis partibus, iecore, corde, cerebro, venis, tum oßibus, neruis, ac reliquis perficitur vel masculi vel femellæ corpus; ac masculi quidem corpori suisiam distincto membris quadragesimo die anima infunditur; femellæ verò nonagesimo post conceptum die. Alitur autem per vmbilicum fetus; donec in lucem edatur infans. Deinceps generalem ceterorũ animantium descriptionem subijciemus.

De hominis generatione.

Quando corpus animetur.

De animalibus quadrupedibus. CAP. XXXV.

QVADRVPEDVM *alia pariunt viuum animal, alia ouum. Ex his alia sunt multifida, alia bisulca, alia solidipedia. Commune tamen omnium est, habere sanguinẽ. Constant hæc ijsdem ex partibus similaribus, quibus homines, ijsdemq́ue humoribus, & dißimilaribus: nisi quòd prona omnia terram spectant, et pro brachijs pedes habent. Eorum alia cornuta sunt, alia cornuũ expertia: cornuta bisulca sunt; vt bos, caper, ceruus: cornibus carentia sunt solidipedia. Omnes animæ vires excepta ratione cum hominibus habent communes, sed hebetiores: quæ sunt hominibus longè præstantiores. Vescuntur alia carnibus, vt feræ, et quæcunque serratos habent dentes, vt lupi, &c. alia herbis, vt cornigera omnia: alia lambendo bibunt, alia hauriendo. Voces variæ propriæq́ue singulorum: quorum alia mugiunt, alia balant, &c. Sunt alia, quæ paucos fetus edere*

Hoc discrimen inter homines & ceteras animantes eleganter Ouidius describit, lib. 1. Metamor. Pronaque cùm spectent animantia cetera terram, Os homini sublime dedit. &c.

edere solent, vt solidipedia aut bisculа: alia multos, vt multifida. Quadrupedia ouum parientia sicut viuipara sanguine prædita sunt; eo tamen distant, quòd hæc ouum pariant, illa animal. Ouum pariunt testudines, ranæ, crocodili, lacerti, serpentes omnes quatuor pediбus præditi. Videntur ea, quæ ouum pariunt, ingenio hebetiora, quàm ea, quæ viuum animal; quòd eorum multa in terræ specubus degant, alia alijs in locis. Ad eorum, quæ ouum pariunt, quadrupedum genus proximè accedunt serpentes, et quidquid humi repit; vt vermes omnes: quibus addi possunt aranei, cimices, pediculi, pulices, & cetera, quæ ex putredine plerumque nascuntur. Serpentes autem omnes & terrestres & aquatiles sanguine præditi sunt; natura frigida ac terrea, & ingenio, vt creditur, callido.

Hinc dictum est; Estote prudentes vt serpentes, & simplices vt columbæ. quod hisce duobus verbis significat Martialis, prudens simplicitas.

De auibus. CAP. XXXVI.

VOLUCRUM *genus omne est aligerum, bipes, multifidum: species sunt innumerabiles. Earum corpora sicut animantium omnium ex ijsdem humoribus quatuor, & horum temperatione ac partibus similaribus coagmentata sunt: nisi quòd terrestribus calidiora sint atque sicciora. Auium aliæ carniuoræ sunt; velut eæ, quibus sunt vngues adunci; quales, accipiter, miluius, & cet. aliæ vermiculis vescuntur, aliæ herbis, aliæ frugibus, quæ plerumque sunt planipedes; vt columbæ. Loca, in quibus nidificant & versantur, pro natura cuiusque sunt diuersa. Mutant aliæ loca certis temporibus, vt grues, ciconiæ, hirundines, & aliæ quædam: aliæ manent: aliæ in vrbibus & ædificijs degunt. Auium omnium partus est ouum. id quomodo primũ fiat ex semine in globulũ coloris lutei coalescente;*

De auium partu.

 quod

quod deinde albugine cingitur: ex qua pullus oriatur; & vitello nutriatur, donec excludatur; ex gallinarum conceptu satis notum est.

De Insectis, atque omnibus exsanguibus animalibus. CAP. XXXVII.

INSECTA *dicuntur, quòd intercisum corpus habere videantur: quæ gignuntur ferè ex putredine. Eorum alia sunt aligera, vt muscæ & vespæ: alia carent alis; vt formicæ: alia humi reptant, & alis ac pedibus carent; vt vermes: omnia sanguinis expertia, quamobrem & naturæ sunt frigidioris. Sed Aristotelem & Plinium legat, qui ea cognoscere volet.*

De Piscibus. CAP. XXXVIII.

PISCES *omnes terrenis animantibus frigidiores sunt & humidiores; & sanguinis quidem copia inferiores, sed corporis mole superiores. Habent hi quoque præter communem illam ex quatuor qualitatibus concretam totidem humorum temperationē partes similares, carnem, sanguinem, ossa spinæ, & huic inclusam medullam, aliaq; terrenorum partibus similia: corporis autem partes & formam ab illis diuersam in longum ferè porrectam: cutem glabram & squamosam, sed hæc adspectu cognoscuntur. Pulmone carent: sed an respirent dubium est; negat Aristoteles, ait Plato, quem probat Galenus; & in balenis nautæ satis obseruarunt. Pisces alij ijsdem in locis versantur: alij loca mutant, & interdum longißimè discedunt. Maxima piscium pars cœtu gaudet, & congregata magno numero migrat in diuersa loca. Dormire etiam, et quietem noctu capere dicuntur. Plura qui requirit, ab Aristotele, Plinio & alijs petat.*

An respirent Pisces.

Magni pisces respirant.

De

De Anima seu animo. CAP. XXXIX.

EXPLICATIS *ac velut iam præparatis corporibus, nunc animarum, à quibus corpora gubernantur, explicationẽ subijciamus. Anima nihil aliud eſt, quàm forma, qua corpus id, cui ea inhæret, quod per ſe moueri non poteſt, perficitur atque informatur: ſine qua nihil animatum conſtare poteſt. Eſt enim principium & cauſſa functionum viuentis corporis, atque inſita vis motionis. Et corpus quidem materia eſt atque inſtrumentum; anima verò forma, quæ corpus animatum reddit, atq; ad exſequenda vitæ munera idoneum.* Anima, vel Animus, corporis gubernator. Quid anima?

De animæ eſſentia. CAP. XL.

DE ANIMÆ *eſſentia variæ fuerunt opiniones. Ariſtotelis duplex eſſe videtur ſententia: priore definitur animus, principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur & intelligimus primò: poſteriore definitur* ἐντελέχεια, *id eſt, actus primus corporis organici facultate vitam habẽtis. Cicero endelechiam (id eſt, energian ac mouendi vim naturalem, ſeu vitam corporis phyſici) vocat continuatam motionem; vt animus ſit interior ille animantium motus. At Peripatetici recentiores per T ſcribentes interpretantur actum primum ſeu perfectionem: vt anima ſit prima forma corporis organici, qua informatur atque animatum redditur id corpus, quod inſtrumenta ad actiones animæ perficiendas à natura habet comparata, quibus vitæ munera exerceat & exercere poſſit. Id Ariſtoteles dicit potentia vitam habere, hoc eſt, viuendi facultatem. Atq; hanc corporis perfectionem, ſiue cum Cicerone quaſi quandam continuatam motionem, & perennem, ſiue cum alijs actum primum ſeu habitum vocemus; vtrumque* Vulgo dicitur actus primus, id eſt forma ac vis agens mouenſque corpus, vt viuat, ſentiat, vel intelligat: principium & cauſſa omnium actionum, qui vulgo nominantur actus ſecundi. Anima eſt motus ac vitæ cauſſa.

cum Aristotelis sententia congruet; si pro forma animalis capiatur. Sentit igitur Aristoteles animam esse formam corporis animati; non corpus aut simplex aut ex elementis conflatum, sed quinctam quandam naturam; quam nouo nomine entelechian appellat. Quamobrem non est animus illa temperatio corporis ex quatuor elementis, vt Galenus putauit, sed essentia seu natura corporis expers, quæ vitam & sensum corporibus animatis afferat. Vt autē sit conmunis totius omnium animorum generis definitio, quæ rationis etiam participi animo conueniat; definiri potest animus Essentia seu natura corporis expers, quæ vitam & sensum corporibus animatis, quibus inest, subministrat.

Sententia Aristotelis de anima.

Plena definitio animi.

Sitne vna singulorum animantium anima, an multiplex. & de animæ cum corpore coniunctione. CAP. XLI.

VNVM *esse totius vniuersi animum à Deo ab æterno conditum Plato putauit, intelligentiæ & sensus participem, & ex eadem origine singulorum animantium animos huc demissos, &, vt ait Cicero, ex mente diuina decerptos, atque ex illis sempiternis ignibus, id est, stellis datos hominibus; omnesq́ cùm è corpore excesserint; vel ob vitia in alia corpora commigrare, vel purgari, vel in cælum ad astrum aliquod, cuius sint animæ similes, euehi, & tanquā vehiculo imponi, vel inde in corpora demitti. Posuit idem tres animi nostri facultates, quas non modò ratione, verumetiam subiecto inter se distinxit: ac rationem in cerebro, vim irascendi in pectore, cupiditatem in iecore subter præcordia collocauit. Sed nos omißis incertis philosophorū sententijs patefactam in religione Christiana veritatem*

Platonicorum opinio de animo.

Tres animi facultates, ratio in cerebro, vis irascendi in pectore, cupiditas in iecore.

tem amplectamur: quæ docet vnam ſingulis hominibus immortalem animam ineſſe, ex verbis Chriſti: Nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam enim occidere non poſſunt.

Vera Chriſtianorum de animo ſententia.

De ortu quoque diſſentiunt philoſophi. Plato æternam animam facit, eamq; corpore priorem, vtpote illo præſtantiorem: ac mundi animam atq; omnium animalium animas ab æterno conditas eſſe, ſed æternam eſſe animi mundani cum corpore ſuo coniunctionem; temporariam verò ſingulorum animalium, & certum eſſe animorum numerum, quos ab æterno tempore Deus condidit.

De ortu animi quid Plato ſentiat.

Nos verò iam non dubitamus à Deo conditum eſſe mundum, & quidquid mundi ambitu continetur, et cum mundo animantes omnes, ipſumq; hominem creatum, & huius corpori facto inditum vitæ ſpiraculum, ſeu animum immortalem, quem conſtat hodie quoque generatis hominum corporibus diuinitus infundi.

Vera de ortu animi ſententia.

Animi cum corpore arcta quidem coniunctio eſt, & non niſi morte diſſolubilis; ſed miſtio non eſt: animusq; permanens incorruptus, vitam, motum, ac ſenſum corpori adfert: quod vnum quidem eſt, ſed diuerſis præditum viribus. quare Plato verum hominem verumq; animal non corpus eſſe vult, ſed animam quæ imperat, et corpore tanquam vehiculo vtitur.

Animus corpori alligatus, vnus quidem, ſed diuerſis viribus præditus.

De animæ diuiſione & partibus.

CAP. XLII.

ANIMA *principium eſt, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus. Ab his animæ tribus officijs deducta eſt eius diuiſio in vegetantem ſeu alentem, in ſentientẽ, et in rationalẽ: quæ ſunt vnius animæ vires diuerſæ: quibus addũtur, appetens & è loco mouens: qui ſuperioribus*

Tres animæ vires, vegetans, ſentiens, intelligens.

 bus

bus includi possunt. Alens & appetens non modò eorũ est, quæ sensu prædita sunt, verumetiam eorum, quibus anima vigens inest; vt sunt stirpes, metalla, lapides. Sentiens omnium animalium est, cui coniunctæ sunt appetens & locum mutans. Rationalis hominum est tantum. Vegetans & sentiens vna cum corpore nascuntur & intereunt: rationalis diuinitus corpori immittitur nec interire potest. Harum partium in quibusdam coniunctæ sunt omnes, in alijs pauciores, in hominibus quidem omnes, sed in animantibus perfectis (nam quædã imperfectis desunt) alens, appetens, mouens, & sentiens: in stirpibus, metallis & lapidibus vegetans.

De anima vegetante. CAP. XLIII.

ALENS *ac vegetans animæ facultas, omniũ viuentium prima est corpori tributa: qua viuit, & naturæ congruente alimento nutritur, crescit, & simile sibi gignit. Huius finis est, conseruandi corporis appetitio, quæ omnibus est à natura insita. Instrumentum seu vis, qua vegetatio fit, calor est, humori ac succo additus: quo deficiente corpus marcescat & pereat necesse est. Materia succus ipse. Tria sunt huius facultatis officia; corpus alere, augere, & aliud sibi simile propagare. Cùm autem omne quod viuit, egeat alimento, quo calor illud perpetuo depascens foueatur; id alens facultas præstat, vt si quid corpori decedat, mox alimento congruente, nimirum ex quatuor qualitatibus, vt ipsa corpora viuentia, concreto, reparetur: quod in ipsius corporis alendi substantiam conuertatur. Hæc alimenti mutatio fit ab insito corporis animati calore velut instrumento vegetantis facultatis.*

Caussæ vegetantis animi facultatis.

Altricis animæ tria munera.

Præcipuum animæ nutrientis instrumentum calor innatus.

Obser-

Obseruandum est, in quibus cuiusq; corporis animati partibus & instrumentis nutricatio fiat. In homine sunt nouem potißimùm partes; os, stomachus, venter, intestina, iecur, venæ cum arteriis, vtraque bilis, & renes. Quomodo autem cibus in ventriculo ad corporis alimentum coquatur, suprà indicatum est. Concoctio prima fit in ventriculo, secunda in iecore, tertia in venis, quarta in singulis membris, in quorum substantiam sanguis conuertitur. Singulis porrò nutricationis instrumentis quatuor addendæ sunt facultates, quas etiam naturales appellant medici: attrahens, qua capitur cibus; retinens, qua concoquitur; alterans, qua mutatur in alimentum; & expellens, qua ex alimento, quæ relicta sunt, eijciuntur. Atque hactenus de primo vegetantis animæ officio, quod est alere: sequitur vt alterum explicemus, quod est, augere corpora. Vis hæc augendi corpus animatũ à primo ortu ad præscriptum à natura magnitudinis modum caloris naturalis adiumento prouehit. Nam caloris beneficio concoquitur alimentum: quod à singulis partibus ac membris attractum in eorum naturam vertitur, adiuuante etiam frigore, quo id alimẽtum consolidatum retinetur. Aucto iam ad naturæ modum corpore, calor & humor, in quibus tota corporis animati vita sita est, paulatim flaccescunt: quibus tandem deficientibus corpus morte dissoluitur. Tertia vegetantis animæ vis est, generandi facultas: qua quidque sui simile procreet. cuius finis est, vt sua cuiusque species perpetua succeßione conseruetur. Ac tria quidem hæc vnius vegetantis animæ facultatis partes sunt diuersis præditæ viribus; alendi, augendi, et generandi: quomodo in vi-

Quibus in locis ciborum concoctio fiat.

Altrici facultati quatuor tanquam ministræ seruiunt.

Vis augendi corpus animatum.

Calore concoquitur alimentum.

Calore & humore vita conseruatur.

Generandi facultas, de qua vide supra sub capite xxxiiij. extremo De corpore humano.

uentibus non triplex anima, sed vna est tribus prædita facultatibus, vegetante, sentiente, & intelligente.

De Vita & Morte: de Iuuenta & Senecta.

CAP. XLIIII.

VEGETANTIS *animæ vis & à vita nascitur, & eam ipsam conseruat. Hanc vim consequitur iuuentus & senectus. Vita est actio animæ, qua corpus alitur, et augetur, atq; conseruatur. Conseruatur præcipuè vita calore & humore: quibus vigentibus viuit corpus; languentibus verò & tandem exstinctis, ipsum quoq; perit. Vtrumq; fouendum est, vt & humor naturalis ac vitalis quem vulgò radicalem vocant, perpetua alimenti accessione augeatur, ne arescat; & calor ille vitalis mitigetur, ac semper alimento foueatur; ne exardescens omnem depascatur humorem naturalem, et corpus conficiat. Cur autem viuentium quædam sint vitæ longioris, quædam breuioris; præcipua caussa est calor & humor ille natiuus. Nam & reliquæ duæ qualitates ad viuentium constitutionẽ requiruntur. Quòd si humor sit aërius ac pinguis, ita vt non facilè computrescat, neq; exsiccetur; calidum quoque illud sit item pingue, non rarum neque nimis tenue, sed iusta proportione temperatũ vnum alteri admisceatur: diuturnior vita contingit; breuior autem si talia non sint, nec rectè mista. Maior caloris, quàm humoris vis requiritur. Calor enim si minor sit, obruetur ab humore & exstinguetur, vt ignis aquæ copia opprimitur. In hac autem mutua caloris & humoris temperatione frigus id efficit, vt caloris vis cohibeatur; siccitas verò, vt fluxa humoris natura cõstringatur. Quamobrem cùm sanguinis caussa sit calor temperatus & modicè humidus,*

Vita quibus rebus conseruetur.

Cur alijs longa vel breuis sit vita.

Quis calor & humor, ad vitam vtilior sit.

Quis frigoris & siccitatis vsus.

dus, ex quatuor illis corporis cõstitutionũ formis, quas à medicis vulgò cõplexiones appellari diximus, ea quæ sanguinea vocatur, estq́ꝫ ex quatuor qualitatibus optimè temperata, viuaciora animantia reddit, quàm quæ vel cholerica est, vel phlegmatica, vel melancholica. Præter hanc longioris & breuioris vitæ caussam sunt aliæ minus naturales, vt exsuperantia vel defectus cibi, potus, laboris, somni, vigiliæ: nocet immoderatus Veneris vsus, nocent curæ, dolor, ira & aliæ perturbationes. Plurimùm quoque vel nocere vel prodesse potest elementum vnicuique circumfusum. Contraria vitæ mors, est natiui caloris & humoris exstinctio. Calor exstinguitur, vel exhausto penitus humore marcescens, vt in ijs, qui longo senio confecti moriuntur: vel ab alio calore nimio, vt in ijs, qui ardenti febre velut incendio consumpti pereunt: vel nimio alimenti humore obruitur ac velut submergitur, vt in ijs, quos crapula necat. Quot igitur sunt caussæ natiui caloris exstinguendi, totidẽ etiam sunt mortis. Ac de vita & morte hactenus. INTER *vitam & mortem media duo sunt; iuuentus & senectus: quarum illa ab initio vitæ incœptæ continuatur ad maturitatẽ corporis animati; hæc ab illa ad interitũ declinat. quod enim generatum est, id finem habeat necesse est: in illa augetur & corroboratur calor, in hac minuitur, ac paullatim ob agendi vim remißiorem languescit atque marcescit. Idem & in stirpibus licet obseruare. Suam etiam & metallis & lapidibus esse iuuentutem & senectutem Georg. Agricola docet. Omnibus denique rebus à natura finem esse constitutum videmus. Iuuentutis igitur & senectutis alia nulla est caussa, nisi naturæ*

Sanguinea constitutio corporis ac temperatio reliquis ad viuacitatem vtilior.

Aliæ longioris vel breuioris vitæ caussæ.

Quid mors.

De iuuentute & senectute.

Stiripum iuuẽtus & senectus: etiam metallorum & lapidũ.

turæ institutum, & caloris aut vigor, aut infirmitas.

De anima sentiente. CAP. XLV.

DICTVM *est de anima vigente, cuius non tantùm animantes sunt participes, verumetiam stirpes et metalla & lapides, quæ réliquis animæ facultatibus carent: nunc de sentientis animæ viribus, quæ propria est animalium, dicemus.*

Sentiendi facultas quid, & vnde sit.

Sentiendi facultas, est vis animæ, quæ sensu aliquo quippiam percipit; seu per quam ea, quæ extra nos posita sunt, parte aliqua corporis comprehendimus, ad vitæ præsidia animalibus tributam, qua & vtilia quærant & nocitura vitent. Hæc sentiendi vis ab anima, vt à caussa mouēte, proficiscitur, cuius actioni corpus, vt materia subijcitur, per quod exceptæ res sensiles certis instrumentis ad animam transmittuntur.

Sensus instrumentum vulgo sensorium appellatur.

Nam singuli sensus per aliquā corporis partem fiunt, quæ sensus organum est, quod vulgo sensorium nominatur, cui, si modò sit integrū, obiecta re sensili, statim sensus efficitur. Sunt enim in sensu tria spectanda; res obiecta sensui congruens, facultas sentiendi, & alteratio:

In efficiendo sensu tria spectanda sunt, res obiecta, facultas sentiendi, & alteratio ex vtraque existens.

prima facultatem illam mouet; altera id quod obiectum est per sensus instrumentum ad animam defert; tertia ex vtriusque mutuo congressu existens sensum perficit; qui tanquam effectus est ex animæ facultate & rei obiectæ actione mutua natus.

Instrumentum sentientis facultatis spiritus tenuissimus, & calidiss.

Primum instrumentum, quo sentiens animæ facultas vtitur in sensibus efficiendis, sunt spiritus illi tenuissimi, ac propè incorporei nascentes in animalibus ex corporis alimento; cuius pars quædam natiuo calore in halitum calidissimum, qui vitam conseruat, extenuatur. Hic ad sensuum organa digressus, & per neruos sensuum proprios adductus sensum efficit;

cit; vt adſpectum, guſtum, & ceteros. Diuiduntur ſenſus in externos & internos. Externi (qui per diuerſas corporis partes eduntur) res externas præſentes comprehendunt: ſuntq́ numero quinque; tactus, guſtus, odoratus, auditus, adſpectus. Interni ſunt, qui intra animam fiunt, ac ſola ratione intelliguntur; numeranturq́ ferè tres, ſenſus communis, phantaſia, & memoria. Duplices ſunt ſenſus.

De tactu. CAP. XLVI.

OMNIVM *externorum ſenſuum primus & vniuerſo animantium generi communis & maximè neceſſarius eſt tactus, ſine quo ne dici quidem animal poteſt. Is definitur animæ facultas, qua corporum contactam extremitatem ſentimus, per extremas neruorum toto corpore variè diſcurrentium partes, & carnem intermediam & cutem. Huius ſenſus efficiens cauſſa eſt ipſa vis animæ ſentiens. Obiectum eſt ei corpus omne ſiue ſimplex, ſiue concretum. Percipiuntur hoc ſenſu qualitates omnes tractabiles, quidquid fuerit calidum, frigidum, ſiccum, humidum, aſperum, læue, durum, molle, &c. Ab eodem etiam voluptatis & doloris iudicium proficiſcitur; qui duo ſunt affectus omnium primi. Inſtrumentum tactus eſt extremitas neruorum, qui per totius corporis carnem diffuſi ad extremam vſq́ cutem pertinentes, per carnem tanquã medium, qualitates corporũ carni admotas cõtingunt ac dijudicant. Omnium ſenſuum hebetiſſimus eſt tactus, cùm ſine corporis applicatione fieri non poſſit.*

Quid tactus.

Omnium affectuum primi dolor et voluptas.

Inſtrumentum tactus.

De guſtu. CAP. XLVII.

GVSTVS *eſt facultas animæ ſentientis, qua ſapores percipiuntur ac dignoſcuntur. Proprium eius*

organum in omnibus corporibus est palatum et lingua, seu neruea pellicula per linguam porrecta. Atq; vt in reliquo corpore ob neruos latè sparsos fit tactus: ita & in palato ac lingua propter alios neruos gustandi facultate præditos hinc ad cerebrum porrectos & spiritum animalem transmittentes, quo sapores dijudicantur, gustus perficitur. Obiectum est sapor. Medium saliua est, vel etiam caro spongiosa linguæ ac palati.

Instrumentum gustus.

Saliua. *Saliua debet esse temperata, vt lingua nec aridior sit, nec humidior, sed nec humoribus corruptis infecta. Gignitur autem saliua ex humore alimenti è ventriculo tonsillis infuso, qua, nisi gula, fauces, lingua & palatum humectentur, non percipiuntur sapores. Hinc fit, vt gustus pro saliuæ sapore varietur, vt qualicunque humore fuerit imbuta lingua, eius ipsa gustum sentiat. Gustatilis qualitas in simplicibus corporibus non est, sed in concretis.*

Saporum genera. *Saporum genera sunt omnino septem; sapor dulcis, amarus, salsus, acer, austerus, acerbus, acidus, et pinguis quem Theophrastus addit.*

Dulcis. *Dulcis sapor est qualitas è moderato calore & humore aëreo mediocriter temperata; linguæ iucunda: vt lac, mel, saccharum.*

Amarus. *Amarus sapor ex magno calore et siccitate cōstat: vt aloë & absinthium.*

Salsus. *Salsus è calore & siccitate terrestri; vt sal.*

Acer. *Acer è calore & siccitate moderata linguam pungens, vt piper, vt zinziber.*

Austerus. *Austerus è frigore & siccitate linguam astringens; vt pyra siluestria & immatura.*

Acerbus. *Acerbus, vulgò stipticus, seu ponticus ab illo parū differt, nisi quòd linguam magis cōtrahit; vt mespila immatura.*

Acidus. *Acidus constat è tenui frigore & siccitate; vt acetum, & malorum citriorum succus.*

Pinguis. *Pinguis ex humore aëreo multo et calore mediocri, lin-*

guam

guam hebetans; vt adeps, oleum, & c. Dulcia alunt; amara abstergunt; pinguia, quia supernatant, concoctionē impediunt, meatus obstruunt; salsa exsiccāt & extenuant; acria vrūt et dissoluunt: austera leuiter siccāt; acerba astringunt; acida refrigerāt et extenuant. Saporum vires.

De odoratu. CAP. XLVIII.

ODORATVS *est facultas animæ sentientis, ad odorem corporis percipiendum necessaria. Huius sensus instrumentum externum sunt nares, internum meatus ad anteriores ventriculos cerebri pertinentes, membranaceo operculo tecti; quod cùm aperitur, fit odor; cùm clauditur, intra cerebrum ille continetur. Obiectum odoratui est odor, id est, halitus calidus et humectus vi caloris ex odorifero corpore expressus: quomodo calore solis ex aqua frequentes excitantur exhalationes. Omnia autem odorifera spiritum ex se aliquem exhalant. Odorū genera à saporibus nomina mutuantur, vt alij amarum redoleant saporem, alij dulcem, alij alium. Omnes autem vel iucundi sunt, vel graues & iniucundi: vehementes cerebrum offendunt, lenes & suaues reficiunt spiritus animales. Constant odores ex humoris & siccitatis medio quodam vapore & calore moderato. Res enim humidiores odorem ferè non emittunt, vt aquæ; multò minùs quæ sunt aridiores, vt arena. Quoniam autem sensus omnes aliquo medio percipiuntur; vt olfaciamus aliquid, aërem medium terrenis animantibus aut aquam piscibus interijci necesse est, quò halitus odorum per nares ad cerebrum attrahatur. Animantia quæ siccius habent cerebrum, odorantur acriùs, vt canes: sed hic sensus hominibus est minùs acris; quòd his cerebrum sit humidius.*

Instrumentum odoratus.

Quid odor.

Odorum genera

Odorum vires.

Cur acriùs canes odorentur.

De auditu. CAP. XLIX.

AVDITVS *superioribus acrior est ille quidem, sed videndi sensu tardior. Auditus est animæ facultas, qua sonus percipitur. Huius vt reliquorū sensuum ortus ab anima sentiente proficiscitur, quæ sonos excipiens, audiendi sensum efficit. Organum eius externū sunt aures, seu potius membrana in imo aurium anfractu: interius verò nerui quidam ab auribus ad cerebrum porrecti, per quos sicut per neruos omnes animalis ille spiritus diffusus voces exceptas ad cerebrum perfert. Medium, quo percipitur auditus, est aër externus nobis offusus, per quem sonus ad aures facta circuitione quadam velut per gyros defertur; quomodo videmus cōiecto in aquam placidam lapillo multos circulos minores, maioresq́ue reddi. Hæc autem aëris agitatio auribus accidens adiuuatur ab interiore quodam ac naturali aëre, qui tenui pellicula aurium foramina tegente inclusus externo commouente impellitur, ac sonos amplificat: qui per molliores neruos audiendi sensui destinatos ad sensum communē perueniunt. Obiectum audituі est sonus omnis è corporū solidorum collisu editus in aëre, qui percussus exceptum sonum reddit auribus. Hic sonus ab Aristotele breuiter definitur, aër ictus, propterea quòd sequatur aërem ictum. Sonus duplex est; vox & sonus: illa ab animantium ore profecta, hic ab aliorum corporum collisu. Vox editur à spiritu è pulmonibus ad palatum & dentes illiso. Nec omnium tamen animantium vox est; sed tantum perfectorum, & respirantium ac sanguine præditorum. Sola autem vox hominum articulatim emittitur. Echo seu vocis ac soni imago fit, cùm aër è collisu corporum excitatus in*

cauum

Instrumentum auditus.

Medium auditus est aer.

Quomodo fiat auditus.

Aer quidam intra aures.

Vnde sonus fiat

Cur sonus dicatur aer ictus.

Sonus duplex.

Quorum animantium fit vox

Echo.

tauum locum incurrens tanquam pila repulsus reflectitur, sonumq; reciprocat integrum, si locus sit æqualis; imperfectum verò, si flexus.

De visu. CAP. L.

ACERRIMVS *omnium sensuum & perfectissimus est adspectus seu visus, id est, animæ sentientis facultas, qua corpora obiecta conspiciuntur. Huius instrumenta sunt oculi bini, ac lucidi, seu crystallinus oculorum humor, & in his pupillæ. Medium, quo visus perficitur, est aër lucidus, quo cernendi vis oculorum adiuuatur. Obiectum est, color cuique corpori adhærens splendore offuso illustratus, qui videndi facultatem excitat. Fit autem adspectus hoc modo: Duo sunt optici nerui à cerebro in oculorum pupillas deducti; per quos spiritus animalis commeans sensum videndi efficit. Huius spiritus ministerio imago eius, quod obiectũ est, per oculos ad cerebri locum, vbi sensus communis collocatus est, defertur. Diu quæsitum est, fiátne visio per immißionem rerum in oculos sese inferentium, an per emißionem radiorum, qui ab oculis ad res ipsas immittuntur. Prior Aristotelis sententia est, altera Platonis, quam Stoici defendunt, aliiq; multi philosophi: quæ certè pluribus placet, asserentibus ipsam cernendi vim ad res obiectas tendere. Quòd autem per mediam caliginem stellas, lucernam, & ignes adspicimus; ideo fit, quòd illa ex se lucem aliquam emittant, quæ lucem oculorum adiuuat, vt, quod in medio deest, id suo splendore suppleat. Vel hoc arguit, ab oculis emitti radios: quippe cùm nihil nisi color moueat adspectum, aut in eum suam speciem emittat. Lactantius libro de Opificio Dei cap. octauo scribit mentem ea, quæ foris*

Instrumenta visus.

Lucidus) illustratus à cœlestibus corporibus: vel aliud διαφανές, seu perspicuum, vt aqua, vitrum, gemma: &c.

Visus quomodo fiat.

Quæstio, an visus fiat per emissionẽ, an per immissionem.

Cur stellæ & ignes per tenebras adspiciantur.

sunt, transpicere quasi per fenestras lucente vitro aut speculari lapide obductas. Idem & Plinio videtur lib. xi. cap. xxxvij. Iam cùm sit color adspectui subiectus, extrema corporis visibilis facies offusa luce, pro maiore minoréue lucis portione, diuersa colorum genera dicuntur: quorum alia simplicia, vt album, quod multa luce, et nigrum quod nulla aut perobscura constat; alia ex varia horum mistione composita; vt rubrū ex albo et nigro mistum: flauum ex maiore alboris portione et ruboris minore: croceum ex ruboris maiore & alboris minore parte: viride ex rubro minore, et nigro copiosiore: purpureum ex rubro largiore & parciore nigro. omnes autem colores pro lucis ratione variantur. Ac de quinq; sensibus externis hactenus. Sed hîc quæri solet, poßintne falli sensus? respondendum est, non falli nec errare, si integrum sit, nec vitiatum sensuum organum; si apta medij proportio; si rebus percipiendis intentus animus.

Diuersa colorū genera.

An sensus falli possint.

De sensibus interioribus. CAP. LI.

S E N S V S *interiores ea, quæ sunt ab externis percepta, dijudicant: quorū alij duos, phantasiam seu visum, & memoriam: alij vires animi diligenter scrutati tres faciunt, duobus illis adijcientes sensum communem, velut externorum omnium iudicem; qui vno eodemq; tempore plura sensibilia ac diuersa discernit atque dijudicat: sed horū absentium imagines phantasia repræsentat; præterita à memoria reuocantur. His tribus non contenti quidam addiderunt æstimatricem facultatē, & imaginatricem, ab ea, quam phātasiam vocari diximus, differentes: quæ cùm non re, sed nomine tantùm à phantasia discrepare videantur: nos ijs omißis*

Quot sint interiores sensus.

omißis tres explicaturi initium à ſenſu communi faciemus. EST IGITVR SENSVS COMMVNIS, *vis animæ ſentientis, quæ colligit ac diſcernit ea, quæ ab externis ſenſibus percipiuntur. Hæc illa facultas eſt, qua videre, audire, guſtare, odorari, & tangere nos ſentimus, & eodem tempore dißimilia etiam comprehendimus. Aßignatur huic locus in prima cerebri ſede ſeu ventriculo, quò perferuntur omnium externorũ ſenſuum imagines, vt dijudicentur. Huic adiunctus eſt alter ſub vertice capitis, in quo phantaſia collocatur: ille humidior eſt, et ad recipiendum aptior; hic verò ſiccior, ad conſeruandum.* PHANTASIA *autem, ſeu imaginatio, eſt facultas animæ ſentientis, quæ rerum ſenſibilium imagines à ſenſu communi perceptas diligentiùs examinat atque expendit. Hinc oritur omnis animantium cogitatio, iudicium et æſtimatio. Quod enim in homine ratio efficit, hoc ipſum in animantibus imaginatio præſtat: quæ quidem quamuis in homine ſit rationis expers, longè tamen præſtantior eſt, quàm in ceteris omnibus; quòd maiorẽ habeat rationis ſimilitudinem; et tamen fallax, vt in ſomno videre licet: quo tempore cùm ſæpe facultas hæc liberè vagetur; abſurda multa, reſq; planè diuerſißimas colligit, æſtimat, cogitat. Iam vt ſinguli ſenſus proprias habent imagines, velut viſus adſpectabilia, tactus tractabilia, etc. ſic et phantaſia phantaſmata, id eſt, rerũ imagines animo obuerſantes, et ſeſe non cogitantibus etiam offerentes. Ea vis pro corporis temperatione vel maior eſt, vel minor. Ex eadẽ animæ facultate omnes ferè animantium affectus naſcuntur; vt iræ, amoris, lætitiæ, triſtitiæ, furoris, & quæ ſunt generis eiuſdẽ.*

Senſus communis vulgò dictus eſt princeps ille ac ſenſuum omnium externorum iudex.

In qua cerebri parte ſit vel ſenſus communis, vel phantaſia.

A phantaſia oritur cogitatio, iudicium & æſtimatio.

Ex phantaſia naſcuntur affectus.

De memoria & recordatione. CAP. LII.

Cur memoriæ sedes in postrema cerebri parte sit collocata.

MEMORIA *est interior animæ sentientis facultas, quæ perceptarum rerum imagines conseruat. Sedem huic esse in postrema cerebri parte, velut in recessu quodam positam vel hinc intelligi potest, quòd occipitio læso memoria sæpe vel imminuatur, vel penitus amittatur, eoq́ curato reparetur. Obiectum memoriæ est, quidquid sensu vel imaginatione comprehensum est. Atque vt sensus tantùm præsentium sunt capaces, ita memoria solùm præteritorum: quæ non iam sentire aut imaginari, sed recordari dicimur. Cùm enim recordari volumus, præterita recolimus, & ad memoriam reuocamus. Hæc animi vis homini cum ceteris ferè omnibus animantibus, quæ sensibus prædita sunt, & temporis habent notitiam, communis est. Videmus enim aues in mutandis regionibus obseruare tempora, & loci ac temporis memoriam habere: sicut alia quoq́ pleraq́ animantium perfectorum. Sed eam ipsam vim homines multo acriorem habent, quippe ratione coniunctam. Communis est illa quidem rerum sensu perceptarum memoria; sed rerum intellectarum propria hominum est; cùm in bestias intelligentia non cadat.*

Communis est hominibus cum bestijs memoria, sed hominibus acrior est: nec tantùm rerum perceptarum, quæ communis est, verum etiam intellectarum, quę propria est hominum.

Memoria cur alijs acrior, alijs hebetior.

Memoria autem pro diuersa cerebri temperatione vel acrior vel hebetior est: quod idem & de bestijs intelligendum. Quibus enim cerebrum ita est temperatum, vt sit moderatè calidũ, nec frigidum nimis, nec humidum, nec siccum; memoriam habent firmiorem: quibus verò nimis humidum est, debiliorem: atq́ hi facilè quidem percipiunt, sed malè retinent: quibus autem siccum est, difficulter percipiunt, sed tenaciter conseruant. Sunt alij felici, alij infelici, alij mediocri memoria

Alijs aliarum rerum memoria felicior est.

ria præditi; non nulli verborum, quidam rerum. Cùm autem imaginatio, quæ nunquam quiescit, rerum præteritarum formas, quas ab ea mens accipit, reuoluat, recordari nihil aliud est, quàm rerum species memoriæ prius mandatas explicare, easq́ue vi imaginis proferre, & cùm opus est, reposcere.

HACTENVS HÆC DE MEMORIA. *nunc de recordatione, seu, in memoriam reductione, quam Græci ἀνάμνησιν, vulgus reminiscentiam vocat, qua reminiscendo recognoscimus aliquid, ac velut amissum recipimus, non nihil dicendũ est. Inter memoriam & obliuionem media est recordatio, id est, renouatio quædam eorum, quæ partim exciderant memoria, partim vestigia quædam propè oblitterata reliquerant. Veluti, si adhibita rationis inductione, quæ exciderant, ea recolantur, & ex loci, temporis, situs, personæ, & similium coniectura ad memoriam reuocentur: quod cùm rationis proprium sit, nec ab imaginatione fieri posit; hæc sola hominis est recordatio, negata bestijs, quippe ratiocinandi facultatis expertibus. Hinc artem memoriæ effecerunt eam, quæ locis et imaginibus constat: ex quorum recordatione memoria sæpe renouatur, de qua vide rhetores, & nostrũ de ratione dicendi libellũ.*

Recordatio seu ad memoriam reuocatio.

De Somno & vigilia. CAP. LIII.

SOMNVS *vniuerso animantium generi datus est ad vires corporis placida quiete reficiendas. Nam, vt ille ait, quod caret alterna requie, durabile non est. Somnus autem et vigilia non sunt animæ vires, vt sensus communis aut imaginatio aut memoria; sed actiones animantium. Somnus definitur ab Aristotele, sentientis facultatis affectio, qua sensibus externis omni-*

Cur somnus sit datus animantibus.

Quid somnus.

bus vnà cum sensu cõmuni consopitis animantia quiescunt. Somni sedes est non in corde, vt Aristoteles putauit, sed in cerebro; vnde sensus oriuntur. Nam refrigeratio cerebri ob discessum natiui caloris à sensuum organis ad alimentum conficiendum sese recipientis in ventriculũ somni caussa est: cùm sæpe videamus ebrijs, corde calescente vino, somnum tamen obrepere propter vini vaporem cerebrum offuscantem atque irrigantem. Refrigerato igitur cerebro spiritus ac motus cohibentur, neruis, per quos spiritus commeant, vapore blando ac suaui ex ventriculo exhalante obstructis. Potissima verò caussa est calor, in ventriculum receptus; fortuita autem est humor cerebro offusus. Redeunte calore animal somno soluitur, & illi contraria succedit vigilia, id est, sensuum actio ac motus corporis, quẽ calor in omnia corporis mẽbra penetrãs efficit.

Somni sedes cur in cerebro potius quàm in corde?

Potissima somni caussa.

Vigilia.

De Somnio & diuinatione ex somnio.

CAP. LIIII.

VT A SENTIENTE *facultate somnus, ita à somno oritur somnium. Somniorũ autem alia physica sunt, de quibus hic potissimùm agitur, alia diuina, alia diabolica. Somnia igitur simulacra sunt atque imagines in somnis animo obuersantes, quas phãtasia rationis imperio soluta liberè discurrens è memoria temerè excitatas agitat, spiritibus per cerebrum vagantibus adiuta. Spiritus enim animalis à vapore vi caloris alimentum in ventriculo conficientis exhalante intra cerebrum coactus varias rerum sensibus perceptarum formas excitat: quæ huc & illuc ab imaginatione agitatæ varia dormientium animis visa, quæ vera somniantibus videantur, obijciunt. Somniorum varietas*

Quid somnia?

Spiritus animalis adiumento omnia excitantur.

Vnde somniorũ varietas.

ex

ex diuersa corporis constitutione, ætate, victus ratione, consuetudine, & humorum ventriculo innatantium qualitate existit. Sunt melancholicorum tristia & horrenda sæpe somnia: sanguineorum læta de rebus pulcris & iucundis: qui non nunquã sublime ferri sibi videntur, ob lætam & aëream crasim: cholericorum seu biliosorum turbulenta, de incendio, bellis, contentionibus: pituitosorũ sunt de aquis, qui natare sibi videntur, et interdum aquis obrui. Pro studijs etiam diuersis alia sunt mercaturas facientium, alia militantium, alia aliorum somnia. Non solent ferè somnia, nisi tanquilliorem somnum capientibus excitari: qui si vel nimis altus, vel inquietus fuerit, impeditur spiritus animalis, cuius adiumento somnia ac varias rerum imagines pro varia corporis constitutione, è memoria & sensuum organis excitatas phantasia obijcit. Qualia somnia existant ex corporis temperatione. Quando somnia impediantur.

De diuinatione, quæ per somnium fieri putatur. CAP. LV.

ESSE *diuinationẽ Cicero cum Platone & Stoicis affirmat, negat Aristoteles: qui somniorũ genera omnia cõplexus, nullũ probat: cùm, si quid fortè, quod aliquãdo somniauerimus, eueniat, id temerè euenisse iudicet: nec vllam esse in eo vim diuinãdi, nec à Deo immitti, cùm reliqua etiam animantia somnient: nec euenturũ aliquid significare, cùm vel fortuito id eueniat, vel instinctu quodã lymphatico, idq́ tantùm per somnium, propterea quòd immortalis animi pars siue mens aliquid habet diuini. Sed Christianos exẽpla Iacobi, Iosephi, Danielis & aliorum sanctitate præcellentium virorum litteris sacris prodita docent esse aliquam per somnium diuinationẽ, sed eam non nisi diuinitus datã.* Sit ne diuinatio?

Nullam diuinationem probandam, prætercam que diuinitus sanctis viris concessa fuit.

Illa verò diuinatio, quam naturæ vi ac mentis à cura liberæ fieri existimant, probanda non videtur: cùm ne vigilantes quidem futura prænoscere poßint, ne dum somniantes.

De appetentis animæ facultate. CAP. LVI.

Quid appetens animæ facultas.

APPETENS *animæ facultas, quam Græci ἐπιθυμητικὴν appellant, & vniuerso animalium generi communis, est ea vis, qua sui conseruandi caussa animantes ad id quod vel sensus vel intelligentia vt bonũ sequendum, aut vt malum fugiendum probauerit, impelluntur. Stirpes autem & alia quæ vita constant, vt antè dictum est, appetunt illa quidem pastum & sui conseruationem, sed ea communis est rebus omnibus appetitio; quam nos hoc loco prætermittentes, animantium appetitionem explicabimus. Hæc enim sola, non etiam illa vigentia, bono aut certè boni speciæ mouentur, vt adspectus colore, sono auditus, etc. atque vt bonum expetunt, ita malum refugiunt, & sui conseruationem appetunt. Atque hæc animæ facultas à multis in iecore collocatur: sed Aristoteles, qui eam ex animi & corporis copula nasci putat, non alicui parti, sed vniuerso corpori vnà cum anima permistam esse dicit; cùm non escas solùm & potiones appetamus, quod iecoris proprium est, sed opes etiam, honores, diuitias, aliaq; multa, quæ aut sint aut videātur bona. Hanc appetendi vim in omnibus animalibus imaginatio comitatur, quæ omnes appetitus excitat, sed turbulentiores in bestijs quàm in hominibus, à quibus illi ratione cohiberi possunt. Tres sunt appetentis animæ partes, vna omnium viuentium altrici facultati coniuncta, de qua dictum est: altera omnium sentientium, quæ vel*

Quæ communis rebus omnibus appetitio, quæ solis animantibus?

Sedes appetentis facultatis.

Imaginatione omnes appetitus excitantur.

Tres appetentis animæ partes.

tactui adhæret, gignitq́ue voluptatem & dolorem; vel sine tactu quosdam in corde motus adfert, quibus animantes excitantur aut ad bonum persequendum, aut ad malum fugiendum: tertia hominum propria est coniuncta cum ratione cupiditas seu voluntas; de qua quoniam infrà suo loco dicemus, et primam appetentis partem suprà explicauimus: reliquum est, vt de sentiente nunc disseramus, itemq́ue de affectibus, qui ab illa omnes oriuntur. Sentientem appetentis animæ vim duplicem faciunt; irascentem & appetentem seu concupiscentem: quarum illam in corde ponunt, turbulentarũ affectionum fontem; hanc in iecore, quam affectuum mitiorum sedem esse volunt: vna tamen est animæ sentientis facultas; quæ in bestijs est omnino rationis expers; in hominibus modò expers, modò particeps; prout illam ratio, tanquam auriga nimis lasciuientem ac ferocientem equum refrænauerit. Sentiens vis appetentis animæ duplex, irascens & concupiscens.

De affectibus. CAP. LVII.

AFFECTVS *est impetus animæ sensus participis appetentis ab opinione boni aut mali natus.* Huius origo *est appetens animæ facultas; caussa mouens, obiectum aliquid extrinsecus vel bonum, quod allicit; vel malum, quod repellit: efficiens & excitans facultatem animi, phantasia seu imaginatio. Accedunt his aliæ quoq́ue caussæ: vt corporis temperatio, institutio, viuendi ratio, consuetudo, ignorantia, aliaq́ue similia, quibus affectus facilius excitantur. Commota igitur phantasia vel boni vel mali extrinsecus obiecti opinione ducitur, & vtriusque vel præsentis vel futuri: ex præsenti bono oriuntur affectus lætitia & amor: ex futuro cupiditas & spes: ex malo præsenti ægritudo; ex futuro* Caussæ affectuum.

Quot omnium affectuum prima capita?

metus. Omnium autem perturbationum Plato & Aristoteles duo capita constituunt, voluptatem & dolorem: Stoici quatuor: lætitiam & cupiditatem, quæ ex duobus opinatis bonis oriuntur, vna præsentibus, altera futuris; ægritudinem & metum, quæ ex malis duobus, illa præsentibus, hic futuris. Negant Stoici nobis affectus insitos esse à natura: sed rectiùs Academici & Peripatetici naturales esse docent. Nam his sublatis virtutes etiam atq; omnium animalium actiones vnà tollerentur. Affectus alij mitiores sunt; velut ij, qui ab appetente iecoris facultate nasci putãtur: alij concitatiores, quales ab irascente cordis impetu existunt. Sed vera omnium sedes in corde rectius collocatur. Affectuum alij naturam iuuant, vt lætitia, spes, amor: alij destruunt, vt tristitia, metus, desperatio, odium, & ira. Tum alij per tactum fiunt, alij sine tactu. Primùm explicabimus eos affectus, qui per contactum fiunt; vnde existunt voluptas & dolor. Voluptas est animi rationis expertis affectio, naturæ corporis congruens, siue, quæ corpus suauitate aliqua delinit. Voluptati contrarius est dolor, id est, affectio naturæ animantis repugnans, eámque offendens. Vtrumque per omne animalium genus latißimè patet: nec animal dicẽdum, quòd eo careat, cùm tactus insit omnibus. Appetitiones quæ tactu fiunt, sola cordis seu totius appetentis animæ commotione, in duas partes paulò antè distribui solere diximus, irascentem & concupiscentem: ab illa concitatiores ac turbulentiores; ab hac leniores ferè ac moderatiores affectus oriuntur: quas ordine explicabimus. A MOR, *est appetentis facultatis affectio, per quam id appetitur, quod bonum putatur, & imagi-*

Affectus esse naturales.

Omnium affectuum sedes.

Diuisiones affectuum.

Voluptas.

Dolor.

nationi

nationi ſuauiter blanditur, quo frui cupiant animantia feruore cordis inſtigata. Amor alius eſt vehemens & concitatus: qualis eſt amantium, & parentum erga liberos: alius moderatus, vt amicorum: alius honeſtus, alius turpis: ille ex honeſta cauſſa oritur; hic ex turpi. DESIDERIVM *ſeu cupiditas, qua bonũ, quod abeſt, appetitur. Cupiuntur autem, ſicut & amantur, vel turpia vel honeſta, idq́ vel vehementiùs vel moderatiùs pro natura & ingenio cuiuſque. Siquidem calida & ſanguineæ conſtitutionis corpora vehementiùs expetunt omnia: ſed quæ frigida ſunt, remiſſiùs.* SPES *eſt boni euenturi exſpectatio. quæ ſpiritibus animalibus erigitur, adiuuante quadam dilatati cordis confidentia. Minùs ſperant timidi & frigidi.* DESPERATIO, *ſpei contraria, eſt ægritudo carens rerum meliorum expectatione.* LÆTITIA *ſeu voluptas eſt qua rei concupitæ delectatione præſenti fruuntur animantes cupiditate incitatæ. In hanc affectionem omne delectationis genus ex omnibus ſenſibus petitum cadit.* ODIVM *amori contrarium eſt, et ab iraſcente facultate non parum iuuatur. vt enim amor eſt rei oblectantis comprehenſio, ita odium rei offendentis fuga ac deteſtatio. Odium pro cuiuſq́ animantis natura modò grauius eſt & diuturnius, vt in corporibus melancholicis & bilioſis; modò leuius eſt & breuius, vt in humidis & frigidis. Huc pertinet* IRA, *id eſt, perturbatio à cupiditate vlciſcendi eius quod læſiſſe videatur, profecta: quæ quoniam feruida eſt, definitur à quibuſdã feruor in corde ex euaporatione fellis, quo ſanguis & ſpiritus inflammatur & effunditur, orta: quæ pro natura corporis, & offenſionis opinione,*

Amor varius eſt.

Deſiderium varium eſt.

modò

modò maior est, vt in calidis & superbis animantibus; modò minor, vt in moderatis ac temperatis. DETESTATIO *siue offensio, siue auersatio comitatur odium; cùm nemo nisi offensus odio persequatur. Qui natura sunt calidiore, citiùs offenduntur; qui frigidiore, tardiùs.* TRISTITIA *plerumque odium & offensionẽ sequitur, interdum etiam præcedit. Tristitiam hîc intelligimus appetentis facultatis motum, quo contrahitur animus atq; premitur, voluptati contrarium. vt enim voluptate cor dilatatur & erigitur; ita tristitia atque ægritudine contrahitur atq; deprimitur. ex quo facilè intelligi potest, hanc appetentis animæ facultatem ab irascente tamen multum commoueri. Ad tristitiam referuntur, angor, solicitudo, inuidia.* TIMOR *seu metus, est perturbatio ex opinione euenturi mali: quæ ex contractione cordis, ad quod vndique retrahitur calidus sanguis, oritur. Huc referuntur segnities, verecundia, pudor, terror.* AVDACIA *timori contraria, est animi quædam confidentia ex opinione boni adipiscendi: & ex dilatatione cordis existit. Atque hæc breuiter de affectibus: quos Aristoteles copiosè tractat cum in alijs, tum in Rhetoricis ad Theodectem.*

De mouente animæ facultate. CAP. LVIII.

MOVENS *animæ facultas est, quæ motum corporibus animatis, quo locum mutare incitata animantia poßint, adfert, ex viuendi sentiendiq; principio orta; necessaria ad vitæ conseruationem, quam vt tueantur animantia, varijs motibus impelluntur ab obiecto aliquo bono siue commodo adipiscendo, & euitando incommodo; velut ad pastum, ad latibula, ad periculorũ fugam,*

Obiecto) Iudicat enim antecedens notitia, quò mouenda sint membra.

fugam, &c. Instrumenta mouentis facultatis præcipua sunt nerui motionibus destinati, quibus anima tanquam habenis vsa per spiritus animales et vitales musculos & fibras mouet, & per hæc porrò singula membra totumq; corpus. Quoniam autem nerui ex cerebro oriuntur, in eo quoque Galenus & ortum & vim mouendi collocandam censet: quæ tamen ipsa, vt & sentiens & reliquæ animæ vires à cordis spiritibus adiuuantur. Mouentem facultatem diuidunt in vitalem; cui subijcitur respiratio, et altricis facultatis agitatio, palpitatio cordis, et arteriarum: & in progredientem; cui subijciuntur, incessus, volatus, saltus, natatus, reptatus. RESPIRATIO *motus est animæ voluntarius, atq; actio ad animantium vitam spiritu vitali conseruandam, & calorem cordis refrigerandum necessaria. Nam cùm vita animantiū tribus potissimùm his contineatur, cibo, potione & spiritu, duo priora ad humorem & calorem vitalem tuendum pertinent, tertium ad fouendum ac mitigandum calorem. Respirationis autem triplex vtilitas est; primùm refrigerat calorem, vt dixi: deinde crassos ac feculentos halitus è pulmonibus eijcit: postremò spiritale alimentum, sine quo viui non potest, toti corpori suppeditat. Quibus feruidus est sanguis, vehemētiùs respirant; vt iuuenes, lassi, cibo repleti. Fit hoc modo respiratio; aërem nobis offusum anima per os in asperam arteriam ad pulmones ducit, quem ab his tepefactum & extenuatum cor excipit, quo spiritu & ipsum refrigeretur, & ex eo congruens alimentum arterijs suppeditetur. Atq; hæc de respiratione. Ceterùm communis omnium animantium ratio mouendi hæc est; Oblatum sit, quod aut bonum*

Instrumenta mouentis facultatis.

Vbi vis mouendi collocanda.

Mouens facultas duplex.

De respiratione.

Vita continetur cibo, potione & spiritu.

Respirationis vtilitas.

Quomodo respiratio fiat.

Fit expirando & inspirando respiratio in animantibus sanguinem & pulmones habentibus.

Communis ratio motionis animalium.

bonum aut malum videatur: si bonum sit; eo statim appetens animæ facultas excitatur ad consequendum: sin malum, ad euitandum. Mox huic adest imaginatio quæ id expendit, sit ne persequendum an fugiendum: ab hac persuasa cupiditas neruos spiritibus animalibus inflatos, et per hos corpus eo mouet quod commodum videtur, & ab eo deterret quod incommodum.

De motu arteriarum.

De motu arteriarum ex spiritus reciprocatione, quem medici pulsum vocant, non nihil adijciamus. Arteriarum & cordis palpitatio ad motum corporis animati necessaria est: cuius efficiens caussa est cordis calor, quo deficiente vita perit. Materia est spiritus per asperam arteriam et pulmones attractus, quo cor & dilatatur & contrahitur.

Ex arteriarum motu corporis temperies inuestigatur.

Hinc profectus idem spiritus ad alias omnes arterias diffunditur: quibus vel sedatiùs vel concitatiùs micantibus, cordis ac totius corporis temperies inuestigari solet.

De anima rationali. CAP. LIX.

Anima rationalis est altera pars hominis in corpus à Deo immissa.

Ratio est vis illa, qua discernit animus verum a falso, & bonum a malo.

RATIONALIS *anima est essentia corporis expers, quæ præter vitam ac sensum perfectum in corpore humano rationis atque intelligentiæ et consilij ac voluntatis particeps est, & immortalis. Habet hæc easdem etiam vires, quas reliqua animantia, velut altricem, sentientem, appetentem et mouentē facultatem; sed his, quod longè præstantius est, adiunctam rationem. Nec tamen ea tot viribus prædita multiplex dici debet, sed vna ac simplex, quæ corpori diuinitus infusa vires cum illo communes, quas modò nominauimus, accipit.*

Propria animæ rationalis officia sunt, intelligere, deliberare, velle.

Sed inter omnes animæ vires intelligentia & voluntas animæ rationis compotis propriæ sunt, eamq; etiam à corpore separatam comitantur: ceteræ sunt

in

in corporis & animæ coniunctione, quæ tamen ab anima rationali tanquam fonte fluunt: quod ex vi contemplationis intelligi potest. Sedem huic in cerebro statuit Plato, quòd ex eo vires omnes non modò sentiendi, sed mouendi etiam, intelligendi & recordandi nasci videantur. Litteræ sacræ in corde collocant, in quo et vitæ fons est, & affectuum domicilium. quibus traditum est, homines habere legem in cordibus inscriptam: &, de corde exire cogitationes. Sedes animæ.

De animæ rationalis ortu, essentia, perpetuitate & partibus. CAP. LX.

Ortus & essentia animi.

ANIMVS *humanus initio mundi conditi à Deo ad ipsius imaginem creatus est, corporis expers, ac simplex, Adamo primùm diuinitus inspiratus, & qui in singula hominũ nascẽtium corpora à Deo quotidie nouus immittitur, coniunctus quidẽ corpori, sed ab eo tamen separabilis & immortalis: vt verè Christiana religio docet. quod & Plato putauit: sed errauit in eo, quòd bestiarũ quoq; animas immortales esse probare sit conatus, in Phædone. Immortalitatẽ ex celeritate discendi & cognoscendi quæuis; quam nihil aliud opinatur esse, quàm recordationem quandam vitæ prioris: & ex notionibus animi, et iudicio boni ac veri colligit Socrates in Mænone, illis ferè vsus argumentis, quæ retulit Cicero cum alibi, tum in Tusculanis quæstionibus & in Somnio Scipionis, & huius interpres Macrobius: quibus intelligi vult animã esse immortalẽ; quoniã in se motus principium, quod ab eius essentia nõ seiungitur, habet; et origine caret; et in actione perpetua versatur vegetãdi, mouẽdi, sentiẽdi, intelligẽdi:* De animi immortalitate. Argumenta Platonis & Ciceronis, cur animus sit immortalis.

quæ

quæ quidem actio à Platone motus, ab Aristotele ἐντελέχεια dicitur: tum etiam, quoniam corporis expers, & notionibus prædita; et initio caret, ac fine caritura; & vitam animali præbet, quæ morti cõtraria est. Platonis hæc quidẽ sunt: Aristoteles verò non satis apertê suam sententiam profert: sed Plutarchus et alij doctrina clari viri colligunt ex eo, quòd ille scripserit mentẽ & intelligentiam, eam præsertim, quam vocat agentem, extrinsecus aduenire, quæ corporis expers, sine corporis instrumento coherere poßit, diuinam esse animam humanam & immortalem. Nobis Christianis cum philosophis illis id conuenit, animos hominum omnes esse immortales: sed eos fuisse ante corpora cõdita, quod putauit Plato, & partim mortales esse, partim immortales, negamus. Creatos autem esse diuinitus, hodieq; creari, et in corpora nouos immitti, & tamen immortales esse, non modò sacrarum litterarum apertißimis testimonijs, quale est illud Christi Domini nostri, Animam occidere non poßunt, etc. Et Esaiæ, Viuent mortui: sed ratione etiam probari potest. Nam cùm animus habeat vires à corpore diuersas, vt rationem, consilium, iudicium, corporis expers sit oportet: cumq; sit diuinorum capax, & diuina atque æterna consectetur; aliquando certè assequetur. Præterea, si virtuti præmium propositum hîc non assequamur; id haud dubiè nobis in altera ac meliore vita erit à iustißimo iudice Deo expectãdũ. Postremò cùm sit ad imaginem Dei creatus animus humanus; æterni autem exempli, vt Plato ait, imago sit æterna, profectò erit animus immortalis. Ac de essentia, ortu, et immortalitate animi humani hactenus: nunc de partibus seu viribus

Aristotelis de animo sententia

Quid Christianis cum philosophis de animi immortalitate conueniat.

Animos humanos non ex traduce (vt vocãt) sed nouos à Deo creari, & in corpora infundi.

Quibus rationibus doceri poßit animam esse immortalem.

Partes animi humani.

ribus eius dicamus, mente seu intelligentia, memoria, & voluntate. Quamuis enim vnus idemq; sit animus rationis compos; præter omnes suprà explicatos, quibus præditus est, in has tamen duas facultates diuiditur: quibus additur memoria, quæ cùm satis ex superioribus nota sit, hîc omittetur. Vide caput liij.

De mente seu intelligentia, & eius partibus.

CAP. LXI.

MENS *est animi ratione præditi facultas, quæ corporea & corporis expertia, communia & singula intelligit ac ratiocinãdo dijudicat. Diuersa est ab imaginatione, memoria, sensibus, & ceteris animæ facultatibus: quoniam & illa, quæ diximus, intelligens in seipsa reflectitur, et intelligere se ac scire aliquid intelligit; & quod excellentius est, notionibus illis, quas Græci* ἐννοίας *vocant, prædita, quasi lumine quodam illustrata, percipit omnia. Sedes mentis est in ipso rationalis animi domicilio; quod in capite à Platone collocari diximus. Huic obiectum non est, vt in sensibus certum aliquid, velut adspectui color; sed quidquid est in rerum natura, quod à Græcis* τὸ ὄν *dicitur, à Latinis ens appellari posset: quod omnia et corporea et corpore carentia complectitur: in quibus omnibus percipiendis mens hac vtitur via; res singulas ad sensum cõmunem extrinsecus delatas, et ab eo exceptas, & coniũctas, mox ab imaginatione dijudicatas memoria sibi traditas conseruat: Eas deinde ratiocinandi facultas cõmunibus notionibus animo nostro insitis adiuta perpendens, si diligenter omnia consideret, caussas et effecta inquirat, inductione colligat; hac ratione singula percipientur. Mentis partes Aristoteles pro varietate actionum*

Sedes mentis.

Quid menti subiectum?

Quomodo mens res omnes percipiat.

Mentis duæ partes.

actionum duas statuit; vnam, quæ vulgò dicitur intellectus agens, seu potiùs faciens; alteram, quæ patiens seu poßibilis: hanc vt materiam; illam verò vt formã. Agens intellectus est animi rationalis facultas, qua res oblatas dijudicamus, expendimus, atq; cognoscimus: sic appellata, quòd vires suas in rerũ imagines exerceat, & ratiocinando aliud ex alio inueniat: estq; hæc tanquã lux quædam humanæ menti diuinitus insita, quæ lumine suo reliquas etiam facultates illustrat. Patiens intellectus dicitur, quæ inuenta velut agnoscens ab intelligentia faciente illustrata accipit atq; amplectitur; quomodo laudat Hesiodus, & omnibus præfert hominẽ hac præclara inueniendi facultate præditum, qui ex sese omnia nouit: eum verò proxima dignatur laude, qui bona aliorum inuenta approbans, et suis cogitationibus anteponens, bene monentibus obtemperat. Agentem quia extrinsecus aduenire dixit Aristoteles, creditur immortalem posuisse. Fuerunt qui vnũ eundemq; in omnibus hominibus animum inesse putauerunt: quorũ errorem alij satis coarguerunt. Patiens intellectus etiam poßibilis dicitur, quòd potestate sit intellectus, in quam imagines ab agente (qui vulgò dicitur intellectus actu) dijudicatæ recipiuntur tanquã in materiam. Per facientem intelligimus, per patientem intellecta recipimus: ille est tanquam efficiens caussa ac forma, & splendor animi: hic tanquam materia & res illustrata: ille faciens dicitur, quia menti lux inest in rerum imagines efficax, hic patiens, quia formas aliquas percipere potest, et paullatim percipit: et quia hæc potentia paullatim completur formis adeptis, intellectus habitu vulgò nominatur, quòd ea nuda sit ac

Agens seu faciens intellectus.

Patiens intellectus.

Agentem intellectum cur Aristoteles immortalem posuisse credatur.

Cur patiens intellectus etiam possibilis dicatur.

Discrimen inter facientem & patientem intellectum.

ſit ac vacua rebus intellectis, quas habitu-poſtea conſequitur. Addiderunt his alij alias diuiſiones, & inter ceteras, intellectum alium practicum, alium ſpeculatiuum appellant: illum virtutis & vitioſitatis iudicem; hunc veri & falſi: illum in vitæ humanæ actionibus verſantem; hunc in rerum natura cognoſcenda: ab illo philoſophia moralis; ab hoc naturalis profecta eſt. Alij partiuntur intellectum, in eum qui actu, & in eum qui habitu ſit. ſed hanc et alias diuiſiones, quæ pro rerum intellectarum varietate conſtituuntur, hîc omittimus; cùm præſertim reuera ſit vna duntaxat eademq́ue mens hominis diuerſis prædita viribus, ex qua variæ exiſtunt actiones; nec ſit mens animæ rationalis pars diuerſa, ſed vis ac facultas eius propria diuinitus vnà cum toto animo corporibus infuſa ac ſimul nata: vnde & anima et ipſe homo rationis particeps dicitur: qua ſola ceteris animantibus ille præſtat.

Aliæ diuiſiones intellectus indicatæ, non explicatæ.

Vna eſt reuera, eademque mens hominis diuerſis prædita viribus.

De intelligentiæ viribus, actionibus & officiis. CAP. LXII.

MENS *eſt melior animi ratione præditi pars ac facultas purior illa quidem ceteris omnibus; ſed per ſe tamē ſine his nihil intelligere, aut capere poßit: quippe cùm omnia, quæ mens comprehendit, ea ſint aut corporea atq; à ſenſibus percepta, aut collatione quadam cum rebus corporeis intelligantur. Vt autem omnia facilè mens comprehendat, inſitæ ſunt ei communes illæ notiones, ſeu notitiæ, quas Græci κοινὰς ἐννοίας vocāt omnium animis à natura ingeneratas, quæ ſunt tanquam actiones quædam intelligentiæ: itemq; facultas quædam, vt res quaſcunque facilè percipiamus. Hæ notitiæ non fuerunt ante corporum animationem cor-*

Quibus adiumētis omnia percipere mens poſſit?

Notiones ſunt hominum animis à natura inſitæ, & quędam facilè percipiendi facultas.

poribus insita, vt Plato scripsit; nec tantùm institutione aut doctrina paullatim comparantur, vt Aristoteles docuit; sed vnà cum animis in corpora demißis à Deo simul ingeneratæ. Hoc docet Apostolus ad Romanos scribens, cùm ait gentes sine scripta quidem lege sed tamē peccare, cùm ab ijs lex naturæ omnium mentibus insita, quam sacrosanctam esse oportebat, violatur. Inter omnes autem rerum notitias duæ sunt præcipuæ, ex quibus vniuersam philosophiam ortam esse diximus: vna, qua bonum malumq; natura duce, & rectè prauèq; facta iudicante conscientia discernimus: altera, qua verum & falsum: illa virtutum & vitiorum atq; actionū omnium origo est; hæc earum actionum, quæ in veri inuestigatione versantur. Sunt alia quoq; mentis bona superioribus cognata: vt ingenium, iudicium, agilitas, & perspicacitas ad quæuis cognoscenda: quæ propter diuersam corporis temperationem, quam sequitur anima, non in omnibus hominibus æquè sunt præstantia. Temperatio enim corporum calida & humida plurimùm ad ingenij bonitatem, celeritatem, acumen, ad facilè intelligendum ac discendum prodest. Contraria obstat: nam sicca reddit hebetes: humida stupidos. Deinceps intellectus actiones breuiter exponemus. Perpetua sciēdi cupiditate mens humana tenetur: quæ admirabili celeritate & sagacitate omnia intelligit & inuestigat, ac diuina quadam vi penetrat in omnia Dei opificis opera, simplicia & concreta; communia singulis ex rebus eliciens et inter se comparans, tam singula et simplicia, quàm communia & concreta cognoscit: singulorum naturas, caussas, vires, differentias, propria, accidentia. Perspicit

Notiones vnà cum animis a Deo simul ingeneratę.

Lex naturę, seu rationis iudicium excusantis vel accusantis facta, diuinitus hominum animis insitum est.

Duę notiones pręcipuæ.

Notio boni & mali.

Conscientia discernit, iudicat & arguit.

Notio veri & falsi.

Mentis bona, ingeniū, iudicium, agilitas, perspicacitas cur non omnibus æquè præstantia?

Actiones intelligentiæ sunt, Simplicium cognitio, Compositio & diuisio, Ratiocinatio, Memoria, & Iudicium.

ſpicit etiam, quid rectè, quid prauè, quid ineptè dictum factúmue ſit: ratiocinatur, antecedentia cum conſequentibus conferens, ex alijs de aliјs coniecturam faciens, præuidens, ſimilia cum ſimilibus comparat, diſsimilia diſcernit, conſultat, iudicat, loquitur, diſſerit. Ex hac mentis indagatione & ratiocinatione ſunt ortæ logicæ artes; hinc diſciplinæ Mathematicæ; hinc ceteræ, quæ contemplatione mentis vſæ, ratiocinatione & demõſtratione perficiuntur. Hinc Phyſices; hinc denique totius philoſophiæ diſciplina ortum habet. Vnde ſint omnes artes natæ.

Hanc tam prouidam ac ſagacem vim mentis varij conſequuntur effectus: vt cognitio, opinio, perſuaſio, ſcientia, ſapientia, fides ſeu religio Chriſtiana: quæ gradibus quibuſdam omnia ab intellectu efficiuntur. Qui mentis indagationem conſequantur effectus.

Prima cognitio fit à ſenſibus et imaginatione ſine vlla diligentiori conſideratione. Hæc notitia nobis cum ceteris animantibus communis eſt. Gradus cognitionis.

Sed hæc ipſa mox paulò diligentiùs quidem conſiderata ab imaginatione & intelligentia, ſed aliqua tamen relicta dubitatione, vocatur opinio. Opinio.

Cum opinione perſuaſio & aſſenſus maximè coniuncta ſunt. Perſuaſio.

Cùm autem id quod opinione quadam infirma notum erat, attentiùs ac ſtudioſiùs mens perſpexerit, atque excuſſerit, inductione, collatione, accurata conſideratione, hinc ſcientia naſcitur: Scientia. *quæ, cùm permanet, altiùs infixa menti, ſapientia dicitur:* Sapientia. *quæ ſola maximè in religionem Chriſtianam, qua nihil certius firmiuſq; eſſe poteſt, conuenit.* Fides.

De voluntate. CAP. LXIII.

SECVNDA *rationalis animæ pars eſt voluntas, id eſt, naturalis facultas, per quam liberè, quicquid intelligentia ſeu ratio bonum vel malum iudicauerit, eli-*

Facultas) vt hîc quidem intelligitur: nam alias fere actionem ſeu ipſum velle ſignificat.

gimus aut auersamur. Hominum propria est voluntas; bestiarũ appetitus. Obiectum voluntati est, quidquid ab homine fieri potest. Sunt enim multa, quæ cùm habere non poßimus, frustra expetimus; vt corporis robur. Et quædam liberè volumus; vt patriam tueri: alia non omnino liberè, ac propè coacta voluntate, vt velle pro patria mori. Voluntarium autem non ab euentu, qui plerumque fortuitus est, sed à principio agendi libero dicitur. Libertatem voluntatis declarat actionum delectus & iudicium in ijs, quæ à voluntate expetuntur, discernendis; estq́ tanquam consultrix. Ac voluntas per se quidem adeò libera et soluta est, vt nulli sit neq; rationi, neq; appetitui subiecta, sed soli Deo: modò enim imaginationi, quæ corporis naturam sequitur, auscultat; modò rationis iudicio: sed hanc ad virtutes inuitantem et optimam vitæ bene degendæ ducem tutò recipit; illam verò amplexa, in vitia ac varias perturbationes incidit. Atq; hæc quidem de libera ad agendum voluntate hactenus, de qua omnes ferè philosophi cõsentiunt præter Stoicos: qui cùm fato tribuant omnia, voluntatis libertatem sustulerunt: quos hoc tempore quidam ecclesiæ catholicæ defensoribus aduersantes imitari videntur; qui nihil omnino per nos nisi malum agi posse contendunt, tantumq́ in rebus malis aut ciuilibus libertatem agendi in vtranq; partem concedunt. His contrarium docuerunt Pelagiani, qui non verebantur asserere, omnia per nos effici posse, virtutes & vitia sequi, atq; etiam Deo placere, & eius præcepta perficere. Harum sententiarum neutram veram esse, diligenter & doctè ab alijs demonstratum est. Nam si nostris viribus omnia tribuamus, tolletur etiã

Quid voluntati subiectum.

Quædam liberè, quędam propè coacti volumus.

Esse liberam voluntatem, seu liberum, vt vocãt, arbitrium. Consultrix) definitur enim liberũ arbitrium, facultas rationis & volũtatis, qua bonum eligitur iuuante Deo, & malum Deo destituente.

Philosophorum de voluntatis libertate sententię. Stoici.

Pelagiani.

Falsa est & Stoicorum & Pelagianorum sententia.

Dei

Dei erga nos beneficium, quo per Christum sumus ab æterna morte liberati: contrà si nihil nobis tribuendum putemus; frustra Deus præcepta dedisse, nec satis iustè peccata nostra punire dicetur. Rectiùs igitur ita sentiendum arbitramur, sine Dei præueniente & sequente benignitate, & ope, nihil nos posse: sed ab illo voluntatem nostram adiuuari & corrigi: qui in nobis operatur, vt ait Apostolus, et velle & perficere pro bona sua voluntate: et tamen ille, qui fons bonorum omnium est, ita in nobis omne bonum & incipit & perficit, vt nihilominus hæc voluntatis humanæ libertas permaneat, vt nemo nisi sua sponte & voluntate pereat, sitq́ verißimum quod Geneseos IIII. dictum est à Deo: Subter te erit appetitus, & tu dominaberis illi. Et quod à Christo domino nostro: Quoties volui vos congregare, sicut gallina pullos suos sub alis, & noluistis. Sed hæc, quia Theologorum disputationibus iam satis cõprobata sunt, non persequemur longiùs. Deum potiùs precemur, vt nobis & mentem atq́ intelligentiam sanam, & huic obtemperantem voluntatem, quæ turbidos animi motus coërcere et moderari poßit, largiatur.

Quid de voluntatis libertate sentiendum sit.

Ad Philippenses. xi.

Operatur Deus, cooperatur homo. ait D. Augusti. in cap. 1. epistolę D. Pauli ad Ro.

Matthęi xxiij.

Orandus est Deus, vt nobis det mentem bonam, & ei obsequentem voluntatem.

FINIS.

- **Devs** olim è nihilo creauit mūdum, siue
  - Cælū, in quo sunt orbis
    - Lunæ
    - Mercurij
    - Veneris
    - Solis
    - Martis
    - Iouis
    - Saturni
    - Octauus
  - Elementa
    - Ignem
    - Aerem, *cuius partes*
      - Suprema
      - Media
      - Infima
    - Aquam
    - Terram
    - ex his mista sunt corpora
      - Meteora
        - Ignea
          - Vera
            - Virgæ *sunt virgæ quædam inter...*
            - Aeges *seu capræ, sunt globi quida...*
            - Doci *seu trabes sunt quædam in...*
            - Faces *seu lampades, qui in terra...*
            - Fulgura *fulguris et fulminis. Vide de...*
            - Fulminæ
            - Cometæ
          - Apparentia
            - Chasma *seu hiatus fit um...*
            - Iris *seu arcus cælestis fit um...*
            - Halos
            - Parelia
        - Aerea
          - Venti
          - Ecnephias
          - Typhon
          - Prester
          - Tonitru
        - Aquea
          - Pluuia
          - Nix
          - Ros
          - Pruina
          - Grando
          - Nebula
      - Fossilia
        - Metalla
          - Pl...
          - Orich...
        - Lapides
      - Stirpes
        - Arbor
        - Frutex
        - Herba
      - Vegetan... huius officia
      - Homines